3


DANTIS ALIGHERII

DIVINA COMOEDIA

LATINIS VERSIBUS

AUCTORE

JOSEPHO PASCALIO-MARINELLIO



ANCONAE

EX OFFICINA TYP. OLIM BALUFFI

MDCCCLXXIV.

DANTIS ALIGHERII

DIVINA COMOEDIA

LATINIS VERSIBUS

AUCTORE

JOSEPHO PASCALIO-MARINELLIO



ANCONAE
EX OFFICINA TYP. OLIM BALUFFI
MDCCCLXXIV.

In numeros Dantis Comoedia versa latinos!
Oh lepidum, dices, lector amice, caput!
Tune id vis facere, a quo Dantes ipse recessit,
Qui prius est latiis versibus orsus opus?
Hoc tamen et Dalla — piazza, et Pater ante Ab — Aquino
Tentarunt: crambem tertius hanc recoquis?
Advena es in terris? mores ac tempora nescis?
Fastidit latios Itala terra sonos. —
Vera mones. Nostrae si tanta insania genti,
Ut, quod magna sibi est gloria, despiciat,
Huic male sit. Non autem una est gens Itala terris,
Quae Dantem novit: clarus ubique cluet;
Quotquot et insignes doctrina in gentibus adsunt,
Eloquii est latii maxima cura Viris.
Italice scripsit Dantes, ut tempore iniquo
Flagitia ac mores carperet Italiae;

Non tantum Italiae, toti nos scribimus orbi,
    Ut Vatis tanti tot decora alta sciat;
Et, quod lingua nequit gentilis tradere, tradat
    Doctorum sermo quae sibi nomen habet.
At te, quisquis es Italica de gente creatus.
    Aeternae laudis si tibi fervet amor,
Ne latii eloquii pigeat, decus unde fatetur
    Duxisse ac vires magnus Aligherius,



DANTIS ALIGHERII
DIVINAE COMOEDIAE

LIBER I.

I. Vitae hominis cursu in medio (1), me tendere sensi
Per nemus obscurum, recto de tramite lapsus.
Quam durum est fari quantum nemus illud et horrens
Terrificumque foret! renovat meminisse timorem:
Tale erat, ut mortis paulo sit pejor imago.
Ipse autem, ut referam quae sum bona nactus ibidem,
Caetera visa mihi pariter nunc ordine pandam.
Quomodo in hoc subii, haud novi: me tantus habebat
Evinctum somnus, cum semita recta reliquit!
Postquam sub montem veni, quo desinit illa,
Quae mihi cor tanta strinxit formidine, vallis,
Alte erexi oculos; ejusque effulgere terga
Sidere conspexi, recto quod tramite ducit
Carpentes quacumque viam. Paulum ille quievit
Tum pavor horrendus, qui me tam in nocte gravarat:
Ac, velut ille, maris qui fluctibus aeger anhelansque
Attigerit ripam, dubias quibus exit ad undas
Vertitur, ac spectat; mea sic mens territa, nondum
Quae fugere abstiterat, tractum se vertit ad illum,
Qui numquam est passus mortalem evadere vivum.

Postquam substiterim, defessaque membra levarim,
Desertum per iter rursus sic pergere coepi,
Firmus ut inferior semper pes esset eundo.
Ecce autem, ascensu in primo, maculataque pellem,
Ac valde panthera levis se protinus offert:
Adstitit adversa, atque adeo impediebat euntem,
Ut, me saepe retro fuerim jam vertere promptus.
Tempus erat sub mane novo; septusque micanti
Agmine stellarum Sol exurgebat ab ortu, (2)
Cum quibus ille fuit, divus quo tempore pulcris
His Amor incuteret rebus per inania motum.
Hora recens, dulcisque annus, formosaque pellis
Illa ferae, mihi corde dabant spem surgere laetam;
Non adeo sed enim, ne me truculenta leonis
Terreret facies, qui tunc apparuit ingens.
Memet is adversus celsa cervice ruebat,
Tanta actus fame, uti visus trepidare sit aer.
Tum lupa praeterea, correpta cupidine praedae
Ingenti, prout macra dabant cognoscere membra,
Quae gentes multas vitae traduxit amarae.
Haec adeo terrore gravem me denique fecit,
Ut spes omnis abît sublimem vincere montem.
Qualis, qui lucrum facit, aggestasque lubenter
Condit opes, si tempus adest, quo amiserit illas,
Multa gemit, ploratque dolens, curisque fatiscit;
Bellua me talem fecit; quae adversa, repellens,
Quo Sol usque silet sensim me urgebat adire.
Dum retro conversus agor, mihi paruit ultro
Vir quidam, visus per longa silentia raucus.
Hunc ubi conspexi: mihi ne succurrere noli,
Quisquis es, aut Umbra, aut vere ex viventibus unus,
Inclamans dixi. Contra tum reddidit ille:
Mortalis vixi: me progenuere parentes,
Mantua queis patria ambobus: sum natus Julo,

Sero licet, vixique Augusto principe Romae,
Caeca superstitio cum Numina vana colebat:
Pierides colui; Trojaeque ex urbe profectum
Justum Anchisiaden cecini, post obruta flammis
Pergama. Sed tu cur ad tristia tanta revertis?
Cur te pertaedet jucundum ascendere montem,
Principium et causam, quibus omnia gaudia manant?
Tune Maro? tu fons es fandi uberrimus ille?
Fronte verecundus dixi: o lux inclyta vatum,
Me juvet acer amor studiumque, incumbere chartis
Quod fecit me saepe tuis: tu prae omnibus auctor,
Tu meus es doctor; te sum tradente canoros
Edoctus numeros, per quos mihi gloria venit.
Da, pater, auxilium; meque hoc, precor, eripe monstro,
Quod mihi per venas immittit et ossa tremorem. —
Est aliud carpendum iter, is respondit, ut imbrem
Fundere me vidit fletus, si evadere ab ista
Est animus sylva: quippe hac vadentibus obstat
Bellua, quam propter voces perterritus edis;
Tamque diu prohibet, dum tandem funere mergat.
Indolis est adeo pravae, ut non expleat unquam
Ingluviem; multoque magis post esurit escam:
Multae olli coeuntque ferae, pluresque coibunt,
Dum Canis adveniet, diro qui angore necabit.
Non hunc divitiae, non hunc telluris honores
At virtus rectique amor et sapientia pascent;
Utraque et illius concludet Feltria gentem:
Italiae iste salus, pro qua sunt Marte perempti
Nisus et Euryalus, Turnus, virgoque Camilla.
Omnibus hanc abiget terris, et in horrida rursus
Tartara detrudet, dedit unde erumpere livor.
Quare age, nil melius reputo, quam me inde sequare.
Dux tibi fidus ero, tutumque ex hisce periclis
Per loca te aeterna abducam; quibus ipse videbis

Spirituum poenas, ac spe lamenta carentum
Audibis, mortem dum clamat quisque secundam;
Deinde Animas, medio solamine in igne fruentes,
Aspicies; his dulcis enim spes pectora mulcet
Scandere sidereas maturo tempore sedes:
Ad quas si tu deinde velis ascendere, tali
Munere perfungi me dignior, altera ducet;
Cui te propterea tradam, cum deinde relinquam:
Namque, quod illius non sum praecepta secutus,
Rex Caeli caeleste negat me ascendere limen.
Omnibus is late imperio dominatur in oris;
Hic autem regit, hic illi urbs, hic regia sedes.
Oh nimium, cui fas illuc ascendere, felix!
Haec ait. Ipse autem: Per quem non noveris, inqui,
Te, pater, oro Deum, me hoc et majoribus effer
Usque malis; ac in sedes, quas dixeris, adduc,
Ut Petrique fores, et quos adeo esse dolentes (3)
Asseris, aspiciam. Sic dixi, ac protinus ille,
Praegrediens, invasit iter: sum pone secutus.
II. Jamque dies ibat, terraeque animantibus almam
Ducebat fessis obscurior aura quietem:
Ipse unus, durumque viae, ac pietatis acerbum,
Ferre parabar onus, quod mens veraciter edet.
Nunc, altum ingenium, mihi nunc succurrite, Musae;
O, quae visa mihi scripsisti ex ordine cuncta,
Hic tua nobilitas sese, mens vivida, pandet.
Tunc ego, conversus Vati: perpende, priusquam,
Inqui, onus imponas, num sit mihi idonea virtus:
Mortalem immortale solum tu dicis adisse
Troem Anchisiaden, vivo cum corpore, et omni
Instructum sensu: sed, si omnis criminis osor
Annuerit, propter quae mox orirentur ab illo,
Qui sapit, haud putat indignum; nam conditor urbis
Imperiique electus erat; quae (vera loquendo)

Utraque erant Sedi majoris debita Petri.
Haec olli via scire dedit, quod causa triumphi
Pontificisque fuit solii. Tharsensis et ivit
Divus, ut hinc Fidei, quae semita prima salutis,
Afferret vires. Sed me quae causa? quis auctor
Impulerit, vivis impervia regna venire?
Non ego sum Paulus, non et Retheius heros:
Non ego me tanto, aut alter dignatur honore.
Propterea vereor, tantis si incumbere coeptis
Annnerim, ne me nimium fiducia fallat:
Es sapiens, ac plura vides, quam verba revelent.
Qualis, qui rem, quam voluit, mox ipse refutat,
Ac nova sic veterem mentis sententia vertit,
Ut, quibus institerat, penitus dein rejicit orsa;
Haud aliter tunc ipse fui; quodque ante secuta
Jam cupide fuerat, mens hinc mutata refugit. —
Si bene te audivi, vatis mihi rettulit Umbra
Magnanimi, est vili tua mens affecta timore,
Nobilibus coeptis homines qui saepe revellit,
Qualis imaginibus terretur bellua vanis.
Ut te igitur tali solvam formidine, causam
Ostendam cur ipse huc veni, et quae auribus hausi,
Cum cepit me cura tui. Locus, inter utrumque
Et Celum atque Erebum, cum aliis me immunis habebat
Huc, me compellans, mulier pulcherrima sese
Detulit; atque illam, quid jusserit, ipse rogavi.
Assimilis stellae, radios fundebat ocellis;
Angelicaque mihi sic coepit voce profari:
Mantuae, o Umbra, decus, cujus se fama per orbem
Tendit adhuc, totumque vigens se tendet in aevum,
Ille mihi fidus, quem non sors fecit amicum,
Deserta sic ire viam prohibetur in ora,
Ut pavidus retro jam nunc vestigia vertat;
Et, quantum audivi, vereor ne ferre morata

Sim nimis auxilium. Vade, et succurrere cura
Quo potes eloquio, et queiscumque sit artibus usus;
Sic olli affer opem, ut moeror mihi corde recedat;
Hoc tibi quae mando, sum nomine dicta Beatrix;
Advenio delapsa loco, ad quem deinde reverti
Toto animo exopto: qui dat me has edere voces,
Illinc movit amor: non ipsa attollere laudes
Mittam deinde tuas, Dominum cum rursus adibo.
Dixit, et obticuit. Cui sic ego talia contra;
O mulier, cunctis praestans virtutibus una,
Per quam progenies hominum supereminet omne
Contentum Caelo, quod circuit orbe minori,
Usque mihi est adeo tua jussa capessere gratum,
Ut mihi jam serum, si nunc perfungerer, esset:
Omnia percepi: nec te plus dicere oportet.
Pande autem causam, cur ex regionibus altis,
Quo remeare cupis, non huc descendere abhorres.
Quando haec fert animus, retulit, cognoscere, paucis
Expediam. Est tantum, quae sunt nocitura, timendum:
Cetera non ullum fas es inferre timorem.
Numinis aeterni talem me gratia reddit,
Luctibus ac poenis ut sim non pervia vestris;
Nec me flamma vorax aut ulla incendia tangunt.
Est mulier Caelis, hujus pertaesa periclum
Ad quem te mitto, precibus quae Numinis iram
Supplicibus frangit. Petiit dulci ista rogatu
Luciam, eique inquit: nunc te tuus ille fidelis
Indiget; affer opem; quippe hunc tibi sedula trado.
Lucia, saevitiam horrens, et pietatis amica,
Ad me continuo, cum Rachaele sedentem,
Se tulit: o, dixit, Domini laus vera, Beatrix,
Quae mora? cur illi, qui te tam fidus amavit,
Quique super vulgus per te sese extulit ardens,
Non ades auxilio? pietas tibi nulla gementis?

Nonne vides mortis luctantem in flumine vasto,
Quo minor oceanus? — Nemo, aut vitare periclum,
Aut captare bonum, pernix adeo extitit unquam,
Ut lapsa, his auditis, huc sum ex sede beata,
Eloquio confisa tuo, quod te implet honore,
Atque alium quicumque audit. Sic fata, decoras
Effundens lacrimas, lucentia lumina vertit,
Ac citius tibi adesse dedit. Velut illa rogavit,
Tete adii, eripuique ferae, quae calle vetebat
In montem te ferre brevi. Quid denique cessas?
Quae tibi segnities animo, neque fortiter audes?
Cum tibi sidereis triples sit femina in oris,
Queis est cura tui, ac spondent mea verba salutem?
Non secus ac flores, nocturno frigore clausi,
Demissique caput, cum Sol illuxerit, omnes
Protinus erecto panduntur vertice ad auras:
Sic meus est animus verbis erectus amicis,
Qui prius exciderat: tantumque in corde vigorem
Gliscere persensi, ut sim sic effarier orsus:
O pia, quae mihi subsidium studiosa parasti!
Tuque bonus, cui prompta fuit parere voluntas,
Tanta tuis dictis mihi facta est ire cupido,
Ut prior induerit rursus sententia mentem.
Vade age, carpe viam: est eadem nam utrique voluntas:
Es mihi tu dominus, tu ductor, tuque magister.
Talia sum fatus; cumque is vestigia movit,
Extuli et ipse pedem, atque viam sum ingressus in altam,
III. Hac iter, aeternus quam possidet horror, in urbem;
Hac iter est luctus in lamentabile regnum;
Hac iter in gentem, cui spes est nulla silutis:
Justitia motus, magnus me condidit Auctor;
Me Vis omnipotens, summa et Sapientia, et unà
Primns Amor fecit: non me sunt ante creatae,
Ni res aeternae: aeterna in secula duro:

O vos, qui intratis, spes nulla exire supersit.
Obscuris haec scripta notis, mihi verba tuenti
Perculerunt oculos iu summo margine portae;
Quare ego: perdurum, dixi, haec mihi verba, Magister,
Portendunt sensum. Ille mihi, ut vir mente sagaci,
Euge, ait: hic animis opus est ac pectore firmo
Attigimus loca, quae jam dixi; ubi poena fatigat,
Qui liquere bonum, quo mens humana quescit.
Haec ait; apprenditque manu, vultuquo renidens,
(Quod mihi vim dedit), in rerum me abscondita misit.
Hic planctus, gemitus, suspiriaque aegra, sonabant
Aera per vacuum stellis, ac luminis orbum;
Queis ego commotus, lacrimas in limine fudi.
Voces altaeque ac rauce, variaeque lequelae,
Verbaquae, quae horrendus dolor et trux elicit ira,
Ac manuum sonitus, per tetrum aevoque carentem
Aera, terrificum mixti dant usque tumultum,
Qualem edunt strepitum commotae turbine arenae.
Ipse, horrore gravis: quisnam mihi perculit aures
Luctificus gemitus? dixi: quae causa, Magister?
Quae tantum gens triste dolens? Ac ille reponit:
Hac poena afficitur, quisquis traduxit inertem
In terris vitam, laudisque ac criminis expers.
Hi sunt Daemonibus mixti, queis nulla sequendi
Cura fuit Domini aut Satanae vexilla, sed unis
Consuluere sibi: hos pariter rejecit Olympus
Ne minor huic esset decor; et rejecit Avernus,
Namquo aliqua ex illis ornaret gloria sontes. (4)
Quidnam adeo hos laedit, quod tot lamenta, Magister,
Edere sic cogat? retuli. Tunc ille vicissim:
Paucis expediam verbis: spes mortis ab hisce
Omnis abest: vita autem est his tam vilis, ut omnem
Diversam invideant sortem: non ulla superstes
Fama horum in mundo, nullum est memorabile nomen.

Jústitia et pietas hos indignantur adaeque.
Mittamus super hisce loqui: circumspice, et ito.
Tunc ego, perlustrans oculis, tam currere circum
Vexillum propere vidi, quod ferre quietem
Nequaquam posset; turbamque hoc pone sequentum
Tantam, quam nunquam deletam morte putarim.
Postquam aliquem novi, mihi visa est illius Umbra
Edidit abjecto magnam qui corde repulsam. (5)
Adverti, certusque simul sum factus, inertum
Quod secta haec esset, Dominoque ac hostibus aeque
Illius invisa. Hi miseri, qui vivere nunquam
Norunt, nudatos artus sine veste gerebant,
Undique vesparum crabronumque agmine punctos:
Exilit ex membris sanguis, lacrymisque remixtus,
Effluit usque pedes; foedis hic vermibus esca.
Exin, ulterius cernens, adsistere gentem
Fluminis ad ripam vidi. Da nosse, Magister,
Qui sint, quaesivi, cur et transire videntnr
Tam eupidi, prout tenve sinit mihi cernere lumeu.
Haec tibi, respcndit, tristes cum Acherontis ad undas
Sistemus, pandam. Plenus tunc ipse pudoris
Demissusque oculos, (veritus ne forte molestus
Illi esset sermo), obticui dum venimus amnem.
Ecce autem, mora nulla, senex, canusqde capillis,
Atque aetate gravis, veniebat puppe per undas:
Vae vobis, clamans, nunquam hinc sperate reverti,
O Animae sontes: ecce adsum, ut littus ad alterum
In tenebras ducam aeternas, in frigus et aestum:
Tu qui vivus es, extinctis te divide ab istis.
Haec ait; ac, postquam me non discedere vidit:
Diversum per iter venies, ac littore ab altero,
Ut transire queas, dixit: leviore carina
Est vectesis opus. Cui Dux: parce, òcyus inquit,
Succensere, Charon: haec est in sede voluntas,

Qua quidquid fieri velit, est fecisse potestas;
Quaerere nolito ulterius. Trux ille quievit
Lanigeras tum nauta genas, cui lumina diris
Ardebant flammis. At, cum verba aspera ad aures
Venere, illa Animarum nuda effoetaque turba
Palluit, atque metu collisit percita dentes;
Detestata Deum, humanum genus, atque parentes
Et qua stirpe sata, atque locum natalis et horam.
Magno hinc cum fletu ad ripam se contulit omnis,
Quae manet, abjecere Dei quotcumque timorem.
Hanc Charon arcessit nutu, flammantia torquens
Lumina, remoque incessit, quaecumque moratur.
Quales autumni labuntur tempore frondes,
Altera post aliam, cunctas dum reddidit arbos
Exuvias, quas terra dedit: sic improba proles
Adami sese ad nutum de littore mittit,
Illicis ad motum in laqueos velut incidit ales.
Hinc ferruginea nigras it puppe per undas:
At, prius haec illam tangat quam gurgitis oram,
Altera in hac pariter densatur plurima turba.
Huc, fili, ex cunctis, Dux inquit, partibus orbis
Conveniunt, quicumque Dei moriuntur in ira:
Justitia hoc adigit flumen transmittere; et illis,
Quod fuit ante metus, fit deinde accensa cupido:
Vir bonus hac nunquam transit: si portitor Orci
De te igitur queritur, tibi jam dignoscere fas est
Illius quid verba sonent. Vix talia dixit,
Sic tremuit terra, ut memori mihi territa sudor
Membra riget: ventum dedit; et lux dira refulsit,
Qua mihi continuo sensus fuit omnis ademptus;
Procubuique solo, ut somnus quem corripit altus.
IV. Horrisono abrupit tonitru mihi murmure somnum;
Quo simul excussus, quasi vir non excitus ultro,
Erigor, ac lente circum mea lumina verto,

Ut quibus ipse locis, et qua regione tenerer,
Aspicerem: infernae me vidi in margine vallis,
Unde tonat gemitus, finis queis nulla, dolorum.
Haec patet in praeceps, adeoque obscura nigrescit,
Ut, quanquam exacuens oculos, attingere fundum
Aut quidquam aspicere haud possem. Tum, pallidus ore:
Tartareas sedes, Vates est fatus, adimus:
Ipse pedem auteferam, venies tu deinde seeundus.
Tunc ego, quem color admonuit: num tendere gressum
Huc valeam, dixi, si tu formidine palles,
Qui vires animumque mihi praebere solebas?
Non, ut rere, timor, sed enim mihi plnrima pingit
Os pietas, retulit: moveor pietate dolorum,
Qui gentem hanc cruciant; sed longa est semita, eamus
Heac ait, ac Erebi primum me duxit in orbem.
Non hic fletus erat, quantum deprenderit auris;
Ast adeo ingeminant suspiria, ut intremet aer:
Haec dolor edebat, cunctis cruciatibus expers:
Turba frequens aderat, puerique virique senesque.
Qui sint nonne rogas isti quos aspicis? inquit
Tunc mihi Praeceptor. Volo, te jam scire, priusqnam
Ulterius tendas, nihil hos egisse nefandi:
At, siquid virtutis habent, non sufficit: unda
Non etenim sunt abluti, quae janua porro
Est Fidei, quam tu sequeris; sique ante fuerunt
Adventum Christi, cultum, quo rite deceret,
Nen tribuere Deo: quos inter et ipse cooptor,
Nullum nos facimus, sed onim defectio tantum
Perdidit haec; poenaque ideo hac affligimur una,
Quod sine spe semper nos torquet anhela cupido.
Valde, his auditis, dolui; nam sedibus illis
Praestantes virtute viros consistere seusi.
Dic, domine ac doctor, respondi, (ut certior essem
Illius Fidei, errores quae perdomat omnes),

Dic, quaeso, quisquamne adeo, aut virtute suapte,
Hinc, aut alterius, prodit, qui deinde beatas
Venerit in sedes? Is, qui, quo tenderet iste
Deprendit sermo, dedit haec responsa roganti.
Ipse recens huc lapsus eram, cum intrare potentem
Praeinctum vidi victrici tempora serto.
Ille hinc primaevum patrem detraxit, et Abel,
Atque Noe et Mosen, nec non et David et Abram,
Israel cum patre ac natis, et conjuge pulcra,
Quam sibi ut adsereret, tantos tulit ille labores.,
Ac multos alios, quos caeli evexit in aulam.
Praeterea te scire volo, quod nemo beatus
Ante hos, nemo fuit caelesti sede potitus.
Haec ait, ac fando nunquam desistimus ire.
Per densam ferimus gressum, non arboris inquam,
Spirituum at silvam: nec multum a margine summo
Abfuimus, vinctum tenebris cum vidimus ignem;
Utque prope adstitimus, conspexi hac sede morari
Illustres Animas. O cuncta scientia et artes
A quo lumen habent, qui sunt, mihi pande, rogavi,
Quos honor ab reliquis diversa in sorte reponit?
Ille mihi contra: quae sursus splendita terris
Horum fama sonat, meret his hunc esse favorem.
Dixerat: ac vox interea mihi perculit aures:
Quem decet, eximio Vati persolvite honorem;
Ad nos ejus enim, quae abscesserat, Umbra revertit.
Ut vox conticuit, nobis se quattuor Umbrae
Obtulerunt magnae: haud laetus nec tristis eisdem
Vultus erat. Ductorque mihi: illum conspice, dixit,
Qui gladium dextra gerit; ac tres, principis instar,
Anteit: ille est Meonides, clarissimus inter
Vates: est satyrarum scriptor Horatius alter,
Tertius Ovidius, Lucanus denique quartus.
Cum sint, me qualem vox una audita vocavit,

Ipsi etiam, Musasque colant, me hoe propter honorant;
Ac bene agunt. Sic una omnės adstare sequaces
Eximii vatis vidi, qui carmine cunctos
Antevolat, veluti volucres Jovis armiger ales.
Postquam inter sese paulum sunt voce locuti,
Se mihi vertentes, nutu dixere salutem.
(Subrisit Dux aspiciens); ac majus honoris
Tum mihi contulerunt, sibi quod fecere sodalem;
Atque ideo me tanta habuit sapientia sextum.
Sic plura effantes, (quae tum dixisse decebat,
At nunc vana forent), ad lumen venimus usque;
Scilicet ad castrum, septem quod moenia cingunt
Ardua, perspicuisque uudis circumfluit amnis.
Hunc ita transimus, veluti foret arida tellus.
Ostia per septem ingredior cum vatibus illis,
Ac laetum advenimus viridanti gramine pratum.
Nobilis aspectu, gravis, ac sermone suavi
Pauca loquens, gens hic aderat. Secessimus unam
Protinus in partem, tumulumque capessimus altum,
Lumine conspersum, unde omnes spectare licebat.
Sic omnem Heroum ex adverso cernere turbam
Fas fuit; et quod conspexi, me gloria tangit.
Cum multis sociis Electram Atlantida vidi,
Quos inter mihi et Æneas et cognitus Hector,
Vulturioque oculos similis, tu, Caesar, in armis;
Penthesilea simul, Volscaque ex gente Camilla.
Rex est ex alia visus mihi parte Latinus
Virgine cum nata; Brutus, qui ex urbe tyrannos
Ejecit, tum Scipiadae Cornelia proles,
Julia tum Magni conjux, uxorque Catonis
Martia, seque fero fodiens Lucretia ferro;
Quique ferox sola Saladinus parte sedebat. (6)
Cumque oculos magis extulerim, pater ille scientum
Visus Aristotales, media stans gente Sophorum:

Mirantur cuncti, ac multo venerantur honore.
Proximus huic Plato, dehinc Socrates, Eraclitus, atque
Diogenes, et Anaxagora, Empedoclesque, Thalesque,
Et Zenon, et casu condens Democritus orbem,
Atque Dioschorides, qui qualis quantaque virtus
Graminibus docuit: Linus, ac Rhodopeius heros;
Tullius, et tradens Annaeus dogmata morum;
Hippocrates atque Avicenna, Galenus, et una
Geometra Euclides, Ptolemaeus, et Averroe, (7)
Clara Stagirei explicuit qui scripta magistri.
Non mihi fas cunctos complecti carmine; quippe
Longa est historia, ac rebus deest copia fandi.
Vatibus a quatuor, nos huc comitantibus usque.
Dividimur; me namque alio Dux tramite, ab aere
Eripiens placido, trepidantem ducit in aera;
Advenique locum, nullo qui lumine claret.
V. Sic nos, ex primo digressos, alter eundo
Excipit hinc orbis; gyro breviore coercens,
At magis affligens; adeo ut lamenta nocentes
Ac gemitus tollant. Sedet hic in limine Minos,
Horrendum frendens, culpasque inquirit; easque
Ut novit, prout se cingit, sub Tartara mittit.
Dico, quod, illius cum sontes ante tribunal
Deveniunt Animae, jubet has admissa fateri;
Quae simul audivit, quisnam locus attinet illas
Callidus agnoscit; totque hinc descendere cogit
Usque gradus, quoties cauda se cinxerit ipse.
Plurima continue circumstat turba, subitque
Judicium vicibus: sua quaeque piacula pandit;
Judice et audito, praeceps in Tartara fertur.
Minos, me tunc aspiciens; o, dixit, (omittens
Munere perfungi) infernas qui tendis ad aedes,
Prospice ut ingrederis, quove auspice talia tentas,
Ne latum te fallat iter. Cui dicta Magister

Haec retulit: cur voce tonas? huic parce morari
Fatalem ingressum: sic est in sede voluntas,
Qua, quidquid fieri velit, est fecisse potestas;
Hoc tibi sit satis; ulterius ne quaerere cures.
Hic exaudiri gemitus, vocesque dolentes
Incoepere: gravis plangor mihi perculit aures.
In sedem veni, perfusam lumine nullo,
Qua reboat mugitque aer, velut aequor ab Euris
Impulsum rapidis, contraque furentibus Austris.
Nescia ferre moras, magno rapit impete secum
Tristis hiems, agitatque Animas: cumque ante ruinam (8)
Perveniunt ripae, tunc planctus altaque gliscunt
Lamenta; atque Dei virtuti opprobria jactant.
Audivi huic poenae addici, quos dira libido
Impulit illecebris mentem submittere carnis.
Ut fertur nigris sturnorum exercitus alis
Tempore brumali, magnum stipatus in agmen;
Sic Animas sontes turbo sursumque deorsumque
Atque huc atque illuc torquet; nullumque quietis
Solamen sperare datur, poenaeque minoris.
Quales triste grues modulantur gutture carmen,
Cum liquidum longo describunt aethera sulco;
Turbine sic rapido vectas, atque ore gementes,
Hic ego tunc Animas vidi; versusque Magistro:
Quae gens ista, rogo, quam adeo niger incutit aer?
Has inter prima, ille refert, quas discere quaeris,
Multos fraenavit populos regina: fuitque
Dedita luxuriae tantum, ut quod cuique liberet,
Esse dedit legem, ne luxuriosa libido,
Qua nimis insane ardebat, sibi dedecus esset.
Uxor erat Nini, cujus post funus, habenas
Imperii rexit, nomenque Semiramis: illis,
Turcarum quas Rector habet, regnavit in oris.
Subseguitur Dido, cineri quae infida Sichei

Interitum sibi conscivit: Cleopatraque deinde est.
Tyndariden vidi, pro qua sub Pergama longum
Pugnarunt Danai; clarumque potentibus armis
Aeaciden, qui valde etiam pugnavit Amori.
Tristanum ac Paridem vidi (9). Plus mille videndos
Ille dedit manes, digitoque ac nomine monstrans,
Quos Amor ante diem crudeli funere mersit.
Ut mihi sunt equites visi antiquaeque puellae,
Me vicit pietas: animus mihi pene recessit.
Exin, compellans Vatem: valde ipse libenter
Alloquerer geminos, dixi, quos turbine junctos
Ventus agit, multumque leves simul ire videntur.
Ille mihi contra: ut propius venisse videbis,
Alloquere, atque ora pro quo junguntur amore:
Illi aderunt. Vix hos igitur nos versus adegit
Vis venti: o Animae, dixi, quas poena fatigat,
Huc, nisi quis prohibet, vestigia ferte locutum.
Vix ea sum fatus, quales per inane columbae,
Immotis alis, adductae prolis amore,
Ad nidum tendunt; tales se ex agmine Didus
Extulerunt Umbrae, caecumque per aera nobis
Devenere leves, blando sermone vocantis
Fortiter illectae. Quarum sic altera dixit:
O bone mortalis, qui nos invisere, ad atras
Descendis tenebras, quorum de vulnere fusus
Tinxit humum sanguis, si nos tueretur amice,
Ferremus pia vota Deo, ut te pace potiri
Annuerit, quando tam te mala nostra remordent:
Quas lubeat vobis audire et reddere voces,
Reddere et has pariter nobis audire lubebit,
Dum sileant aurae, ventique rapina quiescat.
Natalis mea terra sedet sub marmoris oram,
Quo Padus, ut sibi cum sociis sit pace fruendum,
Volvit aquas. Hunc acer Amor, qui mollia flammis

Pectora perfacile incendit, mihi fecit amantem,
Corporis ob formam, mihi quod crudelis ademit
Interitus: quae tristis adhuc me injuria laedit.
Idem Amor, haud ulli, qui, cum sit amatus, amare
Parcit, me vinxit tanto huic ardore placendi,
Ut nondum expediar. Nos funere mersit eodem
Unus Amor: nos qui enecuit manet inde Caina. (10)
Has Animas postquam sic fantes auribus hausi,
Lumina demisi, atque adeo defixus inhaesi,
Dum mihi Praeceptor petiit: quid mente revolvis?
Excitus his verbis, proh, dixi, quanta cupido,
Quot dulces curae tristem his duxere ruinam!
Mox, his conversus, verbis sum talibus orsus:
Tristitia ac pietate tui, Francisca, dolores
Me valde afficiunt; fletumque effundere cogor.
At mihi dic quaeso, cum vos suspiria cordis
Dulcía mulcerent, quo tempore, quomodo, passus
Est Amor, ut dubius vobis notesceret ardor?
Illa mihi contra: nihil est crudelius, inquit,
(Ac tuus hoc novit Doctor) quam rebus in arctis
Felices meminisse dies: sed tanta cupido
Cum tibi sit nostri radicem noscere amoris,
Illius instar agam, qui defleat atque loquatur.
Nos Lancillotti historiam perlegimus olim,
Ut devinctus Amore fuit: non arbiter ullus,
Non timor ullus erat. Nos lectio saepe vicissim
Impulit inspicere, ac vultu pallescere utrumque;
Ast unum evicit punctum: cum namque puellae
Defixisse virum ridentibus oscula labris
Legimus, iste mihi, a quo nunquam dividar, ori
Oscula defixit trepidus. Galeottus ibidem (11)
Ipse liber scriptorque fuit: non amplius illa
Legimus inde die — Cum talia spiritus alter
Dicta daret, lacrymis alter sic ora rigabat,

Sensibus ut vacuus, victus pietate dolentis,
Deficerem; ac cecidi, velut aethere corpus cassum.
VI. Cum mihi mens rediit, pietas quam multa dolentum
Abstulerat, meque ingenti moerore replerat,
Tum tormenta alia, atque alios tormenta ferentes,
Me circum vidi, quoquo vestigia vertam,
Aut intendam oculos. Me tertius obtinet orbis
Æternae pluviae, cui sunt discrimina nulla,
Nulla mora. Immanis grando, nix, undaque nigra,
Aera per caecum pluit; atque has terra receptans
Undique putrescit, tetrumque exhalat odorem.
Monstrum, immane, ferox, hic trino Cerberus ore
Personat horrendum, atque Animas latratibus urget.
Lumina torva rubent, nigro madet hispida tabo
Barba fluens, uncaeque manus, ingentior alvus:
Discerpit laceratque Animas. Has horridus imber
Non secus atque canes, ululatus edere cogit.
Alternant latus: hoc nunc, et nunc ictibus illud
Objiciunt pluviae; et crebro sua corpora vertunt.
Cerberus, ut nos inspexit, tria guttura pandit,
Ostendens dentes, totosque perhorruit artus.
At Dux continuo, protendens brachia, terram
Suscepit, plenaque manu conjecit hiantes
Illius in fauces. Veluti qui voce molossus
Ante petit, mox deinde silet, cum acceperit escam,
Cui vacat, ac pugnax dentes impingit acutos;
Lurida sic se gesserunt tunc ora trifaucis
Daemonii, qui adeo assiduis latratibus illos
Obtundit manes, ut vellent aure carere.
Umbras nos inter gradimur, quas deprimit imber;
Atque pedes simulacra super, quae corpora parent,
Ponimus. Humenti cunctae tellure jacebant.
Surrexit tunc una sedens, cum cominus ire
Nos vidit, talesque dedit commota loquelas:

O, qui tetra venis adductus Tartara, memet,
Si potes, agnosce; aetherias nam lucis in auras
Es prius exortus, quam mors mihi solverit artus.
Ast ego: quem pateris, dixi, cruciatus acerbus
Effigiem sic forte tuam mihi mente revellit
Ut nunquam vidisse reor. Sed dissere quaeso
Qui sis, addictus poenae, qua, si altera major,
Nulla quidem est gravior. Mihi rettulit ille vicissim:
Urbs tua, quae invidiae tanto tumet aucta veneno
Ut pleno exundet sacco, me tempore vitae
Obtinuit, dictum vobis cognomine *Ciaccum*.
Quod dapis ac vini nimio sum captus amore,
Hic jaceo, velut ipse vides, obnoxius imbri.
Non ego sum solus: poena hi plectuntur eadem
Crimen propter idem. Sic dixit, et ore quievit.
Me tua, respondi, sic infortunia tangunt,
Ut fletum eliciant: at dic, quis civibus urbis
Exitus adveniet, mala quam discordia scindit?
Quisnam hic justus adest? quae causa odia aspera movit?
Jurgia post longa, is retulit, saeva arma capessent:
Rustica pars aliam magna cum clade fugabit: (12)
Victix deinde cadet, postquam Sol aethere trinos
Annuus explerit cursus; ac victa resurget
Cujusdam auxilio, qui nunc blanditur et ambit. (13)
Haec longum attollet frontem, fastuque superbo
Victam subjiciet pedibus; multisque gravabit
Ponderibus, licet illa gemat valdeque queratur.
Justi sunt duo; sed nemo illis applicat aures.
Invidia, esuries auri, atque superbia sunt tres,
Omnia quae flammis incendunt corda, favillae.
Hic finem imposuit dictis. Cui verba vicissim,
Haec ego, respondens, retuli: Volo plura loquaris,
Pluraque me doceas: Tegghiaccius, Henricusque,
Mosca, Farinata, et Rusticuccius ille,

Queis virtus tanta, atque aliae virtutis amore
Praestantes Animae, quo sunt? da noscere quaeso;
Scire etenim cupio, an Caelo laetentur in alto,
Sedibus aut Erebi doleant. Is talia contra:
Pejores inter manes hos continet Orcus:
Flagitiis multis gravibusque urgentur ad imum;
Cernere quos poteris, si tam descendere pergis.
At tu, cum mundi ad dulces remeaveris oras,
Nominis, oro, mei fac illic fama revivat.
Haec satis: haud verbum, si quid quaesiveris, addam.
Haec ubi dicta dedit; contorsit lumina torvus
Ac mihi defixit paulum: caput inde reflexit,
Procubuitque solo, reliquis haud secius Umbris.
Tunc mihi Praeceptor dixit: non ante resurget.
Angelicae vox alta tubae quam personet olim,
Judicium indicens, Judex quod summus habebit.
Quisque suum inveniet tumulum, carnemque resumet
Quisque suam; audibit vocem, quae aeterna sonabit.
Per pluviam atque Umbras lentis sic passibus ultra
Progredimur, paulum alterno sermone loquentes
Interea, quas vita vices ferat inde futura.
Quare ego tum dixi: postquam sententia sese
Protulerit, num poena minor, vel major, habebit,
Aut eadem sontes? Quod nota scientia tradit,
Fac recolas, mihi Doctor ait: quo dotibus aucta
Perficitur natura suis, hoc acrius illam
Sensus agit, sit sive dolor, sit sive voluptas.
Turba licet nunquam vere perfecta nocentum
Efficitur, tamen hanc major tum poena gravabit. (14)
Plura ita, quam referam, alterno sermone serentes
Haec loca circuimus, dum quo gradus alter aditur,
Venimus: hic magnum Plutona invenimus hostem.
VII. Vix nos intuitus, *Pape Satan aleppe*
Pape Satan, rauco incoepit gutture Pluto.

Ac bonus is Sapiens, noscens quid dicta sonarent,
Ut mihi solamen ferret: ne te metus ullus
Occupet, est fatus: vires sint quaelibet illi,
Non hunc praeruptum impediet descendere callem;
M x illi versus: sileas, lupe, dixit, inique,
Ac tua te interius rabies insana perurat:
Haud temere hic fit descensus: sic sedibus altis
Est fixum, Michael pepulit turbam unde superbam.
Ut tumefacta cadunt diffracto carbasa malo,
Cum pelago fera saevit hiems; sic bellua terrae
Concidit. Ad quartum sic nos descendimus orbem,
Per ripam interius, quae se demittit in ipsam
Omne malum mundi, vestigia nostra ferentes.
Justitia heu Domini! tot poenas, totque dolores,
Quot mihi se tunc obtulerunt, quis colliget unquam?
Cur nos nostra malis immergunt crimina tantis?
Non secus ac, crebro qua vortice saeva charybdis
Volvitur, unda furens adversae illiditur undae;
Sic ibi perpetua se gens vertigine versat.
Plusquam alibi multam, magnis ululatibus auras
Implentem, hic turbam vidi, atque ingentia toto
Partibus adversis trudentem pectore saxa.
Occurunt circo in medio, vertuntque retrorum
Deinde pedem: cur ipse tenes? cur ipse profundis? (15)
Quisque alii increpitans. Mox parte ab utraque feruntur
Ad punctum oppositum, diversae ob crimina vitae
Quisque eadem inclamans. Medioque hinc orbe remenso
Ad luctamen idem et convicia ad ipsa revertunt.
His quasi commotus: quae gens est ista, Magister?
Tunc ego quaesivi: cunctosne hos clericus ordo
Addictos habuit, rasos qui vertice crines
Rite gerunt, nobis adstantes parte sinistra?
Dum vixere, refert, tam caeca hi mente fuerunt
Ut nullam impensam facerent moderamine recto,

Ut vox clara sonat, duo cum contingere puncta
Ipse vides, quo illos didit diversa cupido.
Sunt cuncti ex clero, crines queis vertice desunt,
Pontifices summi, et quibus est a cardine nomen,
Prava ubi avarities nimium se exercet abundans.
Multos ex his, Praeceptor, cognoscere, dixi,
Debuerim, quos dira lues infecerit ista.
Haud unquam hoc poteris, retulit: spem pascis inanem:
Nescia, quam foede egerunt, moderaminis aequi,
Nunc hos vita facit nulli notescere posse.
Æternum geminos utrinque ferentur ad ictus;
Ac tumulo exurgent, cum spiritus induet artus,
Rasis una comis, manibus pars altera clausis.
Auri dira fames, atque hujus prodigus usus,
His pulcrum eripuit mundum, ac certamen ad istud
Adduxit: quod quale sit, haud ostendere pergam.
Hinc tibi, mi fili, quae dat fortuna, bonorum
Se brevis ostendit lusus, quibus applicat omnes
Gens hominum curas. Quidquid nunc divitis auri
Est terris, aut ante fuit, requiescere nullam
His daret ex Animis lassis. Fortuna, Magister,
Tunc ego, cunctarum quae dicitur arbitra rerum,
Quid sit pande mihi. Quanta ignorantia vobis,
O veri exortes Animae! mihi reddidit ille.
Haec mea propterea volo te deprendere verba.
Ille opifex rerum, cujus sapientia cunctos
Exuperat fines, caelestes condidit orbes;
Ductoresque dedit, certo moderamine cursus
Qui regerent, ut nulla sua pars luce careret.
Ille etiam terraeque bonis opibusque ministram
Praeposuit, quae temporibus mox talia certis
De gente in gentem, deque his transferret in illos
Continue, quin mens humana obsistere posset.
Hinc populus regnat, pupulusque est subditus alter,

Hujus judicium juxta, quod, ut anguis in herba,
Delitet; ac nil vestra valet solertia contra.
Regnum haec sponte regit, dijudicat, atque gubernat,
Ut sua quisque Deus (16), Nunquam mutare quiescit;
Urget opus: tam saepe vices vertuntur in orbe
Ut sibi continue sit permutare necessum.
Haec est, mortales dira quam voce lacessunt,
Atque execrantur valde, nil tale merentem,
Hi quoque, qui magnas deberent reddere laudes.
Illa autem est felix, nec dictis applicat aures:
Angelicas inter mentes ea sorte beata
Perfruitur; versatque suum, cui praesidet, axem.
Jam nunc ad majora viam tormenta secemus:
Sidera cuncta cadunt, quae, cum jam coepimus ire,
Sursum ascendebant, nec nos dant multa morari.
Subjectam ad ripam circum praecidimus, illic
Quo fons ebullit, lymphasque dat ire calentes
In rivum, qui his efficitur. Nigredine tinctus
Ille fluit; rivique viam nos proinde sequentes,
Diversum per iter, ripam descendimus unà.
Post ubi, per clivum decurrens, rivus in imum
Pervenit, fit vasta palus, Styx nomine dicta.
Hic ego, cum fixis oculis, ut cernere possem,
Intuerer, vidi lutulento in gurgite mersos,
Nudos, aspectuque truces; qui mutua sese
Pulsabant, nec palmis tantum, at pectore, plantis,
Et capite, immani laniantes corpora morsu.
Tum mihi Praeceptor: fili, nunc aspicis, inquit,
Illorum manes, quos iracundia vicit.
At volo praeterea ut credas, certumque rearis,
Gurgite quod subter, sunt qui suspiria mittunt;
A quibus impulsus, supra circumfluus humor
Pullulat; ut, quovis intendas lumina, cernis.
Gurgite stant imo fixi; secumque loquuntur:

Nos fuimus tristes ubi lux pulcherrima Solis
Aera laetificat, lentum sub pectore fumum (17)
Gestantes: et nunc coeno tristamur in atro.
Haec fantur, ruptasque suo dant gutture voces;
Gutture, nam plenis nequeunt emittere verbis.
Sic partem magnam foveae circum ivimus atrae,
Inter aquam et ripam, demersis gurgite semper
Lumina conversi, donec pervenimus illuc,
Ardua quo sese tollebat vertice turris.
VIII. Multo autem prius ad turrim quam accessimus, alte
Illius ad culmen visus ereximus ambo,
Ob geminas flammas, quas poni aspeximus illic;
Queis simul ulterius fax reddidit altera signum,
Tam procul, ut vix hanc oculus discernere posset.
Tunc ego Ductori, cui tanta scientia, quantus
Est liquor oceano, versus: quid postulat iste?
Quid focus ille refert? qui dant hos surgere? dixi.
Ille: quod expectatur, rettulit, ipse per undas
Jam vidisse potes, nisi fumeus impedit aer.
Non ita Parthorum nervis emissa sagitta
Exilit, ac liquidum velox secat aera cuspis,
Ut parvam vidi nobis (mora nulla) per undas
Adventare ratem, quam remex unus agebat,
Altius inclamans: venisti, perfide, tandem.
O Phlegias, Phlegias, clamores tollis inanes;
Non erimus tecum, nisi dum transibimus undas,
Respondit Vates. Ut qui sibi percipit astum
Ingentem tendi, moeret, capiturque dolore;
Haud aliter Phlegias saeva est tristatus in ira.
Dux prius ingressus cymbam, sibi deinde propinquum
Me dedit indugredi: potquam sum exceptus in illa,
Solum est visa gravis. Pandis vada turbida remis
Cymba secat, solitoque subit demissior undas.
Dum freta trajicimus, quidam sese obtulit ultro

Obsitus ora fimo. Stygias qui tendis ad umbras
Ante diem, dixit, quis es, et quo sanguine cretus?
Si venio, haud maneo; nec me locus iste tenebit.
Huic retuli: et tu quisnam es, tam deformis et horrens?
Ille mihi contra: sum flens, ut conspicis, unus.
Ast ego: et in fletu maneas, maleperdite, dixi:
Sit tibi perpetuus plangor: licet omnia foedum,
Te tamen agnosco. Ille manus tum extendit utrasque
Ut cymbam arriperet. Procul hinc, procul esto, alisque
Cum canibus remane, Dux inquit, eumque ropellit.
Dein mihi complexus collum: o, ait, indole praestans
Magnanima, felix quae te connixa creavit.
Huic fuit in terris malesana superbia, nec quid,
Quo sit clarus, inest: ideo tam perfurit Umbra.
Oh quot nunc sese reges magnosque per orbem
Esse putant, quos more suum dehinc limus habebit!
Atque ignominiam sibi contemptumque relinquent!
Quam cuperem coenoso hoc illum in gurgite, dixi;
Cernere vexatum, ante vadis quam eximus ab hisce.
Ac mihi Praeceptor: non nos prius altera ripa
Aspiciet, quam tu compos laetabere voti.
Supplicium huic autem pauco post tempore gentes
Gurgite demersas tam dirum infligere vidi,
Hactenus ut Domino tali pro munere laudes
Persolvam et grates Argenti quisque Philippum,
Æja agite, elata clamabant voce, petamus:
Ille furens sese dentes vertebat in ipsum.
Liquimus hic illum; de quo nil deinde profabor.
At mihi luctificus sonitus tum perculit aures;
Quamobrem in partem, qua venit, lumina verti.
Jam, Praeceptor ait, Dites urbs dicta propinquat,
Qua civesque graves permultaque turba tenentur.
Certe illic in valle procul tecta ardua cerno,
Respondi, usque adeo rubra, ut modo prodita ab igne.

Ille mihi: aeternae, quibus intus jugiter ardent,
Huc rubra ostendunt flammae, velut ipse tueris.
Haec ubi sic fati, ad fossas pervenimus altas,
Quae vallant urbem: ex rigido mihi condita ferro
Moenia sunt visa: ac, magnum post denique gyrum,
Venimus in partem, qua nos descendere puppi
Admonuit nauta: hic, ait, est ingressus in urbem.
Ut portam aspexi, plus mille in limine vidi
Adstare ex Coelo lapsos: quis hic, horrida Ditis,
Irati ajebant, qui vivus regna pererrat?
Innuit his tum Praeceptor, secretaque poscit
Alloquia; ac paulum pressa, illi protinus, ira:
Huc, sed solus, ades, dixerunt; iste facessat,
Has ausus penetrare domos; solusque revertat,
Si potis est adeo; nam tu hac in sede manebis,
Qui caecum huic itiner reserasti in Tartara ductor.
Conjice nunc, lector, cum verba haec auribus hausi,
Si mihi tunc animi exciderint, ut deinde reverti
Nunquam ego crediderim. O qui me terque quaterque,
Dux bone, servasti, ac tot, dixi, exire dedisti
Casibus incolumem, ne me sic desere egenum;
Si vetitum nos ulterius procedere, retro
Actutum rapiamus iter. Tunc ille vicissim:
Omnem pone metum; nostris obsistere coeptis
Nemo potest: talis nos huc contendere jussit.
Me paulum hic maneas; ac spes tibi pectore fractas
Instauret vires: non te hac regione relinquam.
Dixit, et abscessit; dubiusque ego corde remansi,
Ac valde ambiguus, numquid, nec ne, ille rediret.
Auribus excipere haud potui, quod dixerit illis:
Non multum ast illic mansit; nam protinus intus
Hi rapuere fugam; ac ipsius in ora magistri
Ostia clauserunt urbis. Foris ille relictus,
Passibus incedens lentis, ac lumina terrae

Fixa gerens, ad me rediit: fiducia deerat
Cuncta supercilio. Suspiria pectore ducens:
Quis negat infernas, ajebat, me ire sub aedes?
Ac mihi: ne timeas, dixit, si incendor ab ira;
Macte bonis animis; quippe haec discrimina vincam,
Quantalibet vis obstiterit: audacia tanta
Non nova: sunt hac ad portam jam scilicet usi
Secretam minus, atque seris hucusque carentem;
Cujus nempe notas vidisti in margine summo;
Jamque, hanc ingressus, per clivum atrosque per orbes
Incomitatus adest, qui Ditis moenia pandet.

IX. Dixit, quemque mihi secordia pinxerat ore
Aspiciens, cum illum vidi remeare, colorem,
Ipse suum ex ore abduxit, quem impresserat ira.
Substitit intentus, quasi vir qui murmura captet
Auriculis; nam longe oculis haurire nequibat
Aera per caecum, ac densa caligine septum.
Et tamen, hinc dixit, vincenda est denique pugna,
Si modo non ... mihi talis enim sese obtulit ultro;
Oh mihi quam longum, dum quidam his sedibus adsit!
Sensi sermonem primum texisse sequenti,
Prima etenim verba extremis diversa sonabant.
At timui; abruptum verbum nam forte trahebam
Pejorem in sensum, sua quam sententia ferret.
Tunc ego quaerebam: quisquamne has fertur in oras
Ex primi hisce gradus, quibus est spe poena carere?
Raro, is respondit, quod quaeris, contigit ulli.
Ipse olim huc veni, magica tum voce coactus,
In sua quae manes cogebat membra reverti.
Nuper eram functus, cum me succedere muris
His dedit, ut traherem Judae de sedibus Umbram.
Infimus ille locus, reliquis obscurior, atque
Longius a Caelo, quod circuit omnia, distans,
Nota mihi est via: macte animi, ac dimitte timorem.

Ista palus male olens Ditis complectitur urbem
Luctificam; quam nos non absque intrabimus ira.
Plura etiam est fatus, quae non sunt condita mente;
Nam me totum oculus turris pertraxit ad altum
Ignitum culmen; quo tres exurgere vidi,
Femineo adspectu, Eumenidas, viridantibus omnes
Praecinctas hydris, ac foedo sanguine tinctas:
Illis crinis erant colubri immanesque cerastae,
Tempora quas circum implexas et colla gerebant;
Atque is, qui famulas novit Junonis avernae,
Eja age, crudeles circumspice Erynnidas, inqrit;
Ad dextram haec flens Alecto; ad laevam illa Megera est;
Tisiphone in medio. Laniabant unguibus uncis
Quaeque sibi, ac saevis tundebant pectora palmis;
Atque ita clamabant alte, ut formidine captus
Sum Vatem amplexus. Veniat, dixere, Medusa,
Seorsum spectantes omnes; ac saxeus esto:
Heu! male Thesei quondam punivimus ausum.
Verte age te, dixit Vates, et lumina claude;
Si Phorcinis enim se monstret, et ipse tuaris,
Spes nulla aetherias esset remeare sub auras.
Dixit; et ipse suis clausit mihi lumina palmis.
O vos, qui sapitis, doctrinam advertite, quaeso, (18)
Carminibus tectam, atque novae velamine Musae.
Per vada jam sonitus veniebat turbida magnus
Horribilisque fragor, quo ripa utrinque tremebat;
Assimilis vento, qui, saepe ardoribus actus
Adversis, vasto percurrit murmure sylvam,
Ramosque floresque ruens: se turbidus infert,
Pulveris attollens nimbos, gregibusque ferisque
Terrorem incutiens. Mihi Dux tum lumina solvit;
Ac simul: in spumam hanc veterem, inquit, dirige visum,
Qua magis est densus vapor, atque obscurior aer.
Non secus ac ranae venientem protinus hydrum

Effugiunt, trepidaeque metu vertuntur ad oram,
Atque ibi se quaeque accumulat; correpta pavore,
Umbrarun sic turba fugam perniciter ante
Carpebat quemdam, Stygiae qui stagna paludis
Transibat pedibus siccis, ut cernere longe
Ex passu gradientis erat (19). Pellebat eundo, (20)
Saepe agitans laevam, nebulosum ex ore vaporem:
Hoc tantum offendi visus. Ex aethere missum
Agnovi, inspexique Ducem; meque ille silere
Innuit, ac flexa cervice huic reddere honorem.
Proh quam terribili est visus mihi percitus ira!
Adstitit ante fores, tenuique has vimine pandit,
Ac mora nulla fuit. Mox atro in limine sistens:
Improba gens, Caeli depulsa ex sedibus altis,
Unde haec tanta animis, inquit, fiducia vestris?
Cur illi officitis, cujus nequit exitus orsis
Unquam praecidi? vobis qui saepe dolores
Ac poenas auxit? quid fato obsistere prodest?
Cerberus hic vester, memori si mente tenetis,
Et mentum et guttur setis fert hactenus orbum.
Haec ait, ac nobis nihil innuit; atraqua rursus
Per vada vertit iter, velut is, cui pectore major
Insideat, quam cura virúm, qui cominus adsunt.
Sanctis nos freti verbis, discrimine nullo,
Ingredimur portas; ac ipse ardore videndi
Impulsus, quae conditio rerum atque locorum,
Lumina continuo intendi; plenamque jacere
Luctibus aspexi ac tormentis undique campum.
Sicut juxta Aralas, Rhodanus qua detinet undas,
Non secus ac juxta Polam, prope marmoris oram
Adriaci, Italiam quod claudit et alluit aestu,
Plurimus exurgens tumulus discriminat agros;
Sic erat hic tellus variis distincta sepulchris;
Ast alio et graviore modo: quippe hisce remixta

Ardebant flammae; queis tam succensa calebant
Ut magis accensum ferrum ars non ulla requirat.
Omne erat erectum tegumen; talesque sub auras
Prodibant gemitus, quales immane dolentum.
Quare ego tum dixi: qui sunt, Praeceptor, in istis
Inclusi tumulis, adeo lamenta cientes?
Haeresis auctores hic sunt, sectaeque sequaces
Cujusque; ac plusquam reris sunt plena sepulchra.
Jungitur hic similis simili, sed dispare poena;
Quippe etenim minus atque magis monumenta calescunt
Dixit; et in dextram vertit vestigia partem:
Inter et afflictos et moenia vadimus ambo.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER II.

X. Per secretum iter inferimus sub moenia gressum,
Ille prior, post ipse sequens. O maxima virtus,
Tunc ego sum fatus, quae me alta in Tartara ducis,
Proque tuo lubitu per gyros volvis Averni,
Annue quaerenti: numquid spectare sepultam
Fas foret hic gentem? sunt nunc adaperta sepulchra,
Et custode carent. Claudentur, reddidit ille,
Omnia, cum Josaphat sint huc de valle reversi,
Corpora, quae in terris jam deseruere, ferentes.
Hac in parte jacent Epicurus, eumque secuti,
Qui letum censent animam cum corpore obire.
Quod poscis, quamque ore siles, expleta cupido
Mox hic intus erit. Tibi cor, Dux optime, dixi,
Non aliam ob causam abscondo, nisi, ut ipse monebas,
Ne fors multa loquar. Thuscis o edite terris,
Qui nunc, vivus adhuc, igneam perlaberis urbem,
Sic et honesta loquens, precor, hic vestigia siste.
Te tuus ostendit sermo illa ex urbe creatum
Praeclara, cui forte fui nimis ipse molestus.
Haec vox confestim tumulo prodivit ab uno;

Quare ego proximius Ductori exterritus haesi.
Ecquid agis? converte oculos, est ille profatus,
Cerne Farinatam, qui sese erexit ab arca; (1)
Inspice, et extantem toto jam pectore cernes.
Dixit. In illius vultum jam lumina fixus
Intuleram: ille trucem, sublato pectore, frontem
Alte attollebat, velut indignatus Avernum.
Tunc manibus Dux ipse suis me impellit; et inter;
Immittens tumulos: manifesta edissere, dixit.
Ut tumulo accessi, paulum me inspexit; et ira
Mox quasi correptus: quibus es majoribus ortus?
Inquit; et ipse simul, cupidus parere roganti,
Non id celavi, sed cuncta ex ordine pandi.
Ille oculos tollens: mihi gens immaniter omnes
Partique primisque meis inimica fuere,
Reddidit, ac his propterea dare terga coegi.
Si terga hi dederunt, sunt undique deinde reversi,
Respondi; at tua non bene gens hanc calluit artem.
Altera detecto ex tumulo tum se Umbra levavit (2)
Ad mentum; quare subrectam in genva putavi.
Undique me circumspexit, quasi cerneret utrum
Mecum aliquis foret; ac, nullum cum vidit adesse,
Illacrymans dixit; si tu per Tartara tendis
Nobile ob ingenium, cur non tibi filius haeret
Ille meus? qua detentus regione moratur?
Non mea me virtus, retuli, verum iste, seorsum
Qui manet, adducit; cujus fors carmina vester
Jam Guidus sprevit. Genus et miserabile poenae
Verborumque tenor, dederant mihi nosse loquentem;
Plene ideo responsa dedi. Se is protinus alte
Extulit his vix auditis: et quomodo, dixit,
Sprevit ais! nonne aetherias nunc luminis auras
Ille haurit? nonne illi oculos lux percutit alma?
Haec fatus, cum me sensit responsa morari,

Inversus recidit, nec protulit amplius ora.
Alter magnanimus, per quem vestigia pressi,
Non os mutavit, collumve latusve reflexit;
Orsaque deinde sequens: haec si male, dixit, ab illis
Ars percepta fuit, magis hoc me immaniter urit
Quam torus hic igneus: sed non, quae sedibus istis
Imperat, ora Deae vicibus lux alma replebit (3)
Et bis terque decem, ac tu quantum ponderis ipse (4)
Noveris haec habeat. Sic autem evadere ad auras
Inde tibi liceat, cur tam est infensus et asper
Ille meis populus? leges cur condit in illos?
Clades ac caedes, qua decolor Arbia fluctus
Sanguine mutavit, retuli, his haec scita rependunt.
Vertice tunc is concusso, ac suspiria ducens;
Non unus tunc ipse fui; ac certamina nunquam
Cum reliquis certe sine causa, dixit, adivi;
Unus at ipse fui, qui, cum Florentia passi
Sunt omnes alii, deleta ut funditus esset,
Consilio obstiterim, vultu adversatus aperto.
O, rogo, sic valeat tua gens reperire quietem,
Tunc ego subjeci, quo mens mea vincta tenetur,
Solve mihi dubium. Vobis concessa facultas
Est, bene si audivi, casus praenosse futuros;
Non ita praesentes. Sic nos longinqua tuemur,
Rettulit, ut quisquis vitiosa luce laborans.
Tantum summus adhuc indulget luminis Auctor!
At simul adventant, aut praesens attulit aetas,
Mens nostra obruitur tenebris; nec novimus unquam,
Vestrarum in terris rerum nisi nuntius adsit.
Hinc tu scire potes, quod nos vis tota videndi
Destituet, fuerit cum janua clausa futuri.
Tum, quasi pertaesus culpae: fer, deprecor, illi
Qui cecidit, quod natus adhuc vitalibus auris
Vescitur, atque sibi sum respondere moratus,

Errorem hunc propter, quo sum te ajente solutus.
Dixit Jamque meus mihi Dux remeare jubebat.
Quaere ego quaesivi, citius 'mihi ut ille referret
Qui secum hic essent. Plusquam cum mille, reponit,
Hic positus jaceo: Friderici hic Umbra secundi (5)
Purpureique viri (6); atque alii, quos dicere parcam.
Haec ait, ac sese abscondit. Vestigia verti
Ad Vatem tunc ipse redux; sub pectore mecum
Auditum eloquium, mihi visum hostile, revolvens.
Protulit ille pedes; ac posthac, inter eundum:
Quid te adeo turbat? petiit. Cumque inde retexi:
Triste quod audieris, momori sub pectore conde,
Inquit: nunc adhibe hic animos, (ac talia fatus
Erexit digitum): cum deinde illius ad ora
Substiteris, quae luce micans late omnia cernit,
Illa iter et vitae pandet casusque futuros,
Dixit; et, ad laevam conversus, moenia liquit.
Vadimus in medinm, tenuis qua semita ducit
Ad vallem, quae huc usque gravem mittebat odorem.
XI. Summum altae attigimus ripae, quam grandia in orbem
Secta dabant saxa, atque magis crudelia habentem
Supplicia in vallem. Propter, qui exhalat ab imo,
Foetorem immodicum, magni hic accessimus ambo
Ad tegumen tumuli, quo scripta haec carmina vidi:
Summus Pontificum hic jacet Anastasius ille,
Quem malus ex recto Fotinus tramite duxit.
Tunc mihi ait Ductor: lento descendere gressu
Hic opus, ut foedum paulatim ferre vaporem
Assuescat sensus: mox absque mora ibimus ulla.
Atque ego tunc illi: tu, quas amittimus, horas
Fac aliquid penset. Mentem huic me advertere cernis.
Ille ait; inde sequens: Sub saxis, addidit, istis
Clauduntur, fili, parvi in declive gradatim,
Orbes tergemini, veluti quos ipse relinquis:

Spiritibus pravis sunt omnes undique pleni.
Utque satis visus tibi sit mox inde tuenti,
Quomodo in his, nunc disce, et quare poena luatur.
Unus cunctorum scelerum est injuria finis;
Per vim vel fraudem infertur: sed fraude nocere
Est hominum proprium: Deus hoc impensius odit.
Propterea major constringit poena dolosos,
Ac sunt inferius: violenti desuper adsunt.
Et quoniam trinis (hominique sibique Deoque)
Vis potis est ferri, ut ratio manifesta probabit:
Propterea in circos trinos se hic dividit orbis.
Effera per vim mors homini, plagaeque feruntur,
Illiusque bonis incendia furta ruinae.
Auctores igitur caedis, dirique latrones,
Et crassatores, circus prior obtinet omnes,
In classes varias diversaque septa coactos.
In se deinde manus violentas ferre, suasque
In res, quisque potest: in circo opus inde secundo
Est frustra se poeniteat, qui stamina vitae
Sponte sibi abrumpunt, ac res sine more profundunt;
Tristesque illic vivunt, laeti ubi vivere possunt.
Vis Deo item fertur, cum quis vel denegat illum
Corde, vel adversus jactat blasphemia verbis,
Aut quis Naturae bonitatem juraque temnit:
Ultimus hinc circlus Sodomam tenet atque Caorsam (7)
Quotque, Deum exosi, proprio cum corde loquntur. (8)
Nectit homo fraudem (quae corda remordet) in illos,
Qui sibi confidunt, vel queis fiducia desit.
Hic modus extremus dissolvit vincula amoris,
Queis homines Natura ligat: sunt orbe secundo (9)
Propterea, qui furantur, qui falsa loquuntur,
Qui sacra divendunt, turpi qui foedere amores
Conciliant, quique excantant, quique ore pudicos
Dissimulant sensus, hujusce et furfuris omnes.

Deterior modus est alter, qui abrumpit amorem
Non modo naturae, sed quod superaddidit alterum
Inde fides: quare per saecula cuncta minori,
Qui sibi confisos tradunt, plectuntur in orbe,
Centrum ubi stat mundi, quo Dis super insidet ingens.
Sic me ille edocuit. Clare tua verba, Magister,
Dixi ego, procedunt; baratrum bene dividis istud,
Ac populos quos intus habet: sed dissere, quaeso;
Quos tenet atra palus, pluvius quos verberat imber,
Quique sibi occurrunt aspris cum vocibus, et quos
Ventus agit, cur non ignea plectuntur in urbe,
Si Deus est his iratus? si secius autem,
Cur hos poena premit? Sic dixi; ac ille reponens:
Cur, praeter morem, tantum tibi desipit, inquit,
Ingenium? aut alio quo mens tua devia fertur?
Nonne tibi verba obveniunt, quibus Ethica monstrat
Tres animi affectus, quos Coelum damnat et odit?
Ut sunt et vitium et feritas atque impetus ardens?
Ac minus hic pariat sibi dedecus, et minus iram
Numinis incendat? Si talia mente revolvas,
Et qui sint illi, quos sursus poena coercet,
Deprendes equidem, cur secernantur ab istis,
Justitiaeque minus poenis crucientur acerbis.
O Sol, qui sanas aegrum mihi lumine visum,
Dixi, sic mihi suades, dum quaesita resolvis,
Ut dubitare minor non sit quam scire voluptas.
Te paulum retro referas, ubi foenore laedi
Est bonitas tibi dicta Dei, nodumque resolve.
Naturam, dixit, passim praecepta sophorum
Ostendunt ex mente Dei procedere et arte:
Si Physicam recoles, artem (tibi volvere multas
Non opus illius chartas) vestigia nostram
Juvenies hujusce sequi, quo more magistrum
Discipulus, quantum valeant permittere vires;

Usque adeo, ut nostra est neptis quasi Numinis artis.
Si Genesis tibi succurrat, sibi sumere vitam
Esse opus ex his utrisque, atque augescere gentes,
Repperies. Quoniam qui exercet foenus, ab illis
Digreditur, naturam ideo contemnit et artem,
Spemque alibi ponit, quam quo posuisse deceret.
Ast age, me sequere; est etenim jam tempus eundi:
Æthere jam surgunt Pisces, totumque Booten
Caurus habet; datque ulterius descendere ripa.

XII. Asper erat locus ex praeruptis undique saxis
Quo tunc venimus, ac propter quod stabat ibidem;
Tale, ut diffugerent perterrita lumina visum.
Non secus ac, Athesim quae, cis excelsa Tridenti
Moenia, percussit, (terrae seu scissa tremore
Seu non fulta solo) in praeceps patet alta ruina,
Ut nemo hac valeat gressum de vertice ferre;
Sic descensus erat; summoque in margine ripae
Adstabat, tellure jacens, infamia Cretae,
Quae concepta fuit falsae sub imagine vaccae.
Vix ea nos procul aspexit, sese ipsa momordit,
Qualis ab interna pectus qui incenditur ira.
At meus huic versus Sapiens: hinc, bellua, abito:
Dixit; Cecropiumne virum hic tu reris adesse,
Qui te in terris enecuit? Non voce sororis
Edoctus venit iste tuae, sed visere vestras
Huc tendit poenas. Veluti qui vincula rumpit,
Cum recipit letalem ictum, bos, nescius ire,
Saltitat huc illuc; sic Minotaurus agebat.
Eja age, tum Vates, aditum citus arripe, dixit;
Dum furiis agitur, nunc nunc descendere tempus.
Sic per congeriem saxorum vadimus illam,
Ob pondus mihi sub pedibus se saepe moventum.
Ipse animo reputans ibam. Tu forte ruinam,
Ille inquit, tecum volvis, quam bellua servat,

Imperiis quae victa meis hinc ante recessit.
Disce igitur: nondum, magico cum carmine Erichtno
Me dedit huc sedes Erebi descendere in imas,
(Si memini) haec ruerat: certe paulum ille priuquam
Huc sese ferret, primo qui Ditis ab orbe
Eripuit praedam, tanto circum undique motu
Haec tremuit valles, ut mundum rerer amore
Correptum, quo illum multi dixere reversum
Non semel in cahos; ac rupes tunc ista ruinam
Hic alibique dedit. Sed tu jam lumina fige
In vallem; nam sanguineus lacus ecce propinquat,
Quo, quicumque aliis per vim nocuere, coquuntur.
O furor insanaeque irae, o caeca cupido,
Quae nos sic acuis, brevis hoc in tempore vitae,
Et das perpetuum sic deinde madescere in aevum.
Ingentem, ac tortam, veluti Dux dixit, in arcum,
Hic foveam aspexi, quae circumplectitur omnem
Planitiem; atque inter radicem montis et illam
Venantes ibant Centauri, tela gerentes,
Ut vivi fixere feras. Descendere ripa
Ut nos viderunt, confestim ex agmine trini
Abstiterunt; cumque arcu ac lectis ante sagittis
Occurrere; proculque unus: quo tenditis? inquit,
Ad quam damnati poenam? istinc dicite, et ultra
Ne proferte pedes: aliter, vos cuspide figam.
Ac meus huic Ductor retulit: responsa propinquo
Chironi hic dabimus: male te vesana cupido
Egit praecipitem semper. Mox, talia fatus,
Me tentans cubito: hic Nessus, cui Deianira
Causa fuit leti, ac leti fuit ipsemet ultor.
Dixit; et is medius, qui oculos in pectore vertit,
Est magnus Chiron, qui jam nutrivit Achillem.
Et nimius Pholus ille irae. Per littora currunt
Innumeri; telisque petunt, quot sanguine sese

Altius abducunt, sua quam commissa reposcunt.
Haec ait; ac propius, progressi, accessimus illis.
Tum Chiron telum accepit, crenaque reduxit
Ad malas barbam: cumque os immane retexit,
Ad socios versus: num vos advertitis, inquit,
Quod qui pone subit, dat tactu cuncta moveri?
Non solet hoc pes functorum. Cui talia Vates,
Qui prope pectus erat, natura ubi bina cohaerent,
Rettulit: hic vivit, solique ostendere Averni
Debeo pallentem vallem: non sponte suapte,
Rebus at huc agitur duris: canere alleluja
Desivit talis, novum ut hoc mihi obire juberet
Munus: non hic est latro, nec ego Umbra profecto
Improba. Per virtutem oro, quae tam invium et asprum
Carpere cogit iter, nobis ex hisce, fidelis
Sit qui animo notus, socium da incedere quemquam,
Qui vada demonstret, quique hunc iu tergore vectet,
Est qui vivus adhuc, atque ire per aethera nescit.
Talia sic Vates. Ac Chiron: Nesse, redito,
Ad dextram conversus ait; tu ducito euntes;
Ac remove, his aliud si forte obvenerit agmen.
Hoc duce, sanguinei gradimur per gurgitis oram,
Plurimus unde dolens bullentum it stridor ad auras.
Usque supercilium mersos in sanguine vidi.
Hoc, inquit Nessus, cruciantur in amne tyranni,
Qui bona diripuere, atque effudere cruorem:
Sic aliis illata luunt nunc damna necesque:
Hic et Alexander (10), ferus et Dionysius, annos
Qui dedit imperio Sieulis traducere tristes.
Crinibus ille nigris est Azzolinus; et ille
Crinibus aureolis, est Atestinus Obizzus,
Quem vere in terris privignus funere mersit.
Tunc ego, compellans, Vati sum versus; at ille:
Hic tibi sit, dixit, princeps, et ego inde secundus.

Paulum progressus, Centaurus lumina fixit
In gentem, extantem medio, usque ad guttur, ab aestu;
Atque Umbram ostendens, quam sola in parte videbat;
Hic, ait, ante Deum, crudeli vulnere fixit
Cor, quod adhuc Thamesis Londini in littore honorat. (11)
Gentem praeterea vidi, quae ex amne caputque
Ac totum extabat pectus; cujus mihi multos
Nosse fuit; quippe ille cuor magis usque magisque
Decrescit, dum deinde pedum vix denique plantas
Contegat; atque hic sanguineum tranavimus amnem.
Sicut in hac cernis decrescere parte cruorem,
Sic, Centaurus ait, diversa in parte resurgit,
Donec eo adveniat, plectit quo poena tyrannos.
Attila, rex Unnus, Dominique immane flagellum,
Illic supplitium pendit, Pyrrhusque, simulque
Sextus; ibi lacrymas Rinierius edit uterque
Pazzius et Cornetensis, crudeliter ausi
Infestare vias. Sic dixit; tergaque vertens,
Est iterum vada transgressus. — Non venerat oram
XIII. Nessus adhuc aliam, cum nos vestigia tetram
In silvam tulimus, per quam via nulla ferebat.
Non viror hic frondes, sed enim color induit ater;
Non leves rami, at nodoso cortice torti;
Non et in his poma, at virgulta infecta veneno.
Hispida tam dumis ac stirpibus horrida densîs,
Cecinam et Cornetum inter, sub littus Etruscum,
Non habitant per tescua ferae, loca culta perosae.
Hic nidum harpyae condunt, quae Troas ab oris
Expulerunt Strophadum, ventura his dira canentes.
Alae sunt illis magnae; sunt collaque et ora
More hominum; pes ungue rigens; pennataque et ingens
Alvus; terrificis implent stridoribus auras.
Tum mihi Praeceptor dixit: jam disce, priusquam
Ulterius tendas, in circo te esse secundo,

Atque hic semper eris, donec veniamus arenam
Horribilem: tende ergo oculos, ac talia cernes
Quae vincant narrata fidem. Circum undique questus
Audibam; nec quisnam hos ederet ipse videbam,
Propterea que gradum, captus formidine, pressi.
Credere sum Vatem ratus, has me credere voces
Ex, inter truncos, propter nos, gente latenti,
Missas; dixit enim: siquis tibi ramus ad hisce
Vellitur arboribus, te manca putare videbis.
Protendi tunc ipse manum; ramumque revelli,
Horrendum dictu! Vox protinus edita trunco,
Cur me, clamavit, laceras? Cumque inde cruore
Erubuit, cur me, rursus vox altera dixit,
Dilaceras? pietate cares; sylvetria pruna
Nunc sumus, ast homines fuimus: clementior esse
Debueras, animae si essemus forte colubri.
Ut viridis torris, cujus flagrantibus ardet
Altera pars flammis, tepidas ciet altera guttas,
Stridetque, ac propter fugientem sibilat auram;
Sic truncus vocemque simul dabat atque cruorem.
Dimisi manibus ramum, similisque timenti
Obrigui. At meus huic Sapiens: si noscere casus
Ille tuos poterat, tantum me doctus ab ipso,
Non te protensis manibus violaverit unquam;
Res incredibilis me impellere fecit ad actum,
Me quoque quod piget. At tu qui sis fare, tuumque
Dic genu; ut terris, in quas exinde redibit,
Iste tuam instauret famam, sic damna rependens.
Ac truncus contra: sic me tua dulcia verba
Illiciunt, ait, ut non obmutescere possim;
Ac vos ne pigeat paulum me audire loquentem.
Ille ego sum, regis Friderici cordis utramque
Qui tam suave olim clavem volvi atque revolvi,
Hujus amicitia cunctos ut proinde remorim:

Usque adeo fidus sum munere functus, ut omnes
Contererem vires, ac noctes absque sopore
Pertraherem. At meretrix, quae nunquam Caesaris aedem
Deseruit (communis mors, ac maxima clades
Aularum), cunctorum animos incendit; et illi
Regem sic incenderunt, ut protinus omnes
Sunt versi in luctum, quibus insignibar, honores.
Indignata nefas, mea mens, vitare dolorem
Morte putans, justum injusto me funere mersit.
Nunquam, juro novas radices arboris hujus,
Est mihi rupta fides domino, qui diguus honore
Tam fuit; atque ideo vestrum si rursus in auras
Quis veniat superas, ibi det revalescere nostram,
Quae jacet invidiae tam saucia vulnere, famam,
Haec retulit. Paulum Vates est deinde moratus;
Mox ait ille mihi: quoniam nunc iste silescit,
Posce quod exoptas, neve irrita defluat hora.
Atque ego: tu potius, mihi quae prodesse rearis,
Posce quidem; nam me pietas tam multa revincit,
Ut minime possim. Tunc ille incoepit, et inquit:
Sic tibi mortalis, silvestri carcere clause,
Quod petis, efficiat, dic quaeso: his quomodo truncis
Spiritus insuitur? quisquamne his solvitur unquam?
Fortiter efflavit truncus; flatusque, loquelam
Versus in hanc, dixit: breviter responsa reponam:
Spiritus ut saevus membris, queis se ipse revellit,
Exiit, hunc, jussu Minois, septimus orbis
Excipit; in silvam ruit, at non ulla ruenti
Pars habitanda datur: quo sors projecerit, illic,
Ut zea, germen agit; fit frutex, plantaque agrestis:
Harpyae carpunt frodes; morsuque dolorem
Efficiunt; plagaque viam dant esse dolori.
Non secus ac alii, nostros veniemus ob artus;
Non ut se his quisquam induerit: non illud haberi

Fas est, quod sponte abjicitur: huc membra trahemus,
Et cujusque sua pendebit ab arbore corpus.
Dum trunco intenti, dicturum plura putamus,
Ingentem audimus fremitum, ut venator adesse
Frondibus ex motis canibusque latrantibus aprum
Sentit; et ecce duo, lacerato corpore, nudi (12)
Ad laevam erumpunt, fugientes impete tanto
Omnia ut incursu obtererent ramalia sylvae.
Mors, adsis adsis, clamabat primus; et alter,
Segniter ire sibi visus: pernicibus usus
Non es sic pedibus, Lane, in certamine Toppi.
Et, quia fors vires deerant, se cespite, sistens,
Texit, et implicuit. Per sylvam, hos pone, voraces
Currebant nigraeque canes, velut arcta molossi
Vincula cum rumpunt: inter virgulta latenti
Intulerunt dentes avidos, in frusta dolentes
Absciderunt artus, secumque abiere ferentes.
Tunc, dextra exceptum, Vates me detulit illuc
Scissus ubi flebat nequidquam ob vulnera cespes.
Quidnam te, A-Divo-Andrea, clamabat, Jacob,
Hic sub viminibus nostris abscondere juvit?
Numne ego culpandus, si tu male duxeris aevum?
Cum meus huic Dux accessit: da noscere, dixit,
Qui sis, qui tot vulneribus cum sanguine voces
Luctisonas efflas. O qui, respondit, adestis
Frondibus illatam crudelem cernere cladem
Quae mihi direptae fuerunt, has cogite, lectas,
Juxta infelicem truncum. Sum natus in urbe
Cui libuit dominum in Baptistam vertere; quare (13)
Is nunquam arte sua pessum dare desinet ultor:
Et, nisi quid reliquum illius superesset ad Arnum,
Nequidquam cives reparassent deinde ruinas,
Attila quas fecit. Sum hac, inquam, natus in urbe,
Ac, nodum informem nectens, mea ab aede pependi.

XIV. Me patríae commovit amor: componere, et illi,
Qui jam raucus erat, properavi reddere frondes. —
Venimus ad finem, quo circus tertius inde
Incipit, ars ubi justitiae sese horrida pandit.
Ut nova perspicue ostendam, pervenimus, ajo,
Planitiem in magnam, plantis queiscumque carentem.
Ut nemus hanc cingit, fovea sic cingitur ipsum.
Hic nos constitimus, cohibentes margine gressum.
Area condensis siccisque horrebat arenis,
Quales Marmaricis olim Cato pressit in oris.
Vindex ira Dei, quantum te quisque pavere
Debuerit, mihi visa legens. Hic multa Animarum
Agmina nudarum vidi; quibus ora profuso
Undabant fletu, et quas lex diversa premebat.
Quippe jacebat enim pars in tellure supina,
Ibat pars semper, pars et contracta sedebat:
Vincebat numero, quae concita jugiter ibat;
At tellure jacens, miseros magis ore soluto
Edebat gemitus. Totam super undique arenam
Plurima et ampla, allapsu lento, flamma pluebat,
Quo nix more cadit, sileat cum ventus, in alpes;
Atque ut Alexander, qua fervida solibus ardet
India, collabi quondam super agmina vidit
Flammantes ignes, solidosque incumbere terrae;
Proptereaque solum jussit fodicare cohortes,
Nam, putre cum fuerit, melius restinguitur ardor.
Sic ingens flammarum imber sine fine cadebat:
Fomitis in morem succensa ardebat arena;
Ac duplex erat inde dolor: manibusque ruentes
Nec mora nec requies erat excutientibus ignes.
Tunc ego sic Vati: o qui, praeter Daemonas, inqui,
Omnia pervincis, limen contendere portae
Jam nobis ausos, mihi dic ac fare: quis ille
Magnus et ore ferox, qui nil incendia curat?

Igniferoque jacens non urier imbre videtur?
Dixi; ac ille, loqui de se cum senserit, inquit:
Qualis vivus eram, talis sum et corporis expers.
Artificem quamvis delasset Jupiter, a quo
Iratus telum cepit, quo tempore mortem
Prorutus occubui; si aliorum brachia lasset
Alternis vicibus, Vulcani saepe reposcens
Auxilium, velut in magno certamine Flegrae,
Ac mihi fulmineos pro viribus ingerat ictus,
Vindicibus poenis non is laetabitur unquam.
Haec fanti elata retulit tum voce Magister,
Ut sic nunquam alias: Capanee, superbia quando
Nil tua defervet, gravior te poena perurit:
Supplicium nullum, praeter, qua incenderis, iram,
Par foret insano, quo turges, poena furori.
Haec ait; ac mihi sic est mitior inde profatus.
Unus hic ex septem, Thebas qui milite quondam
Obsedere duces: tempsitque, Deumque videtur
Temnere, nec quidquam vires curare Tonantis.
Debita sed merces illi, ut sum fatus eidem,
Est suus ipse furor. Nunc protinus arripe callem,
Ac me pone veni; cave ne pes tangat arenam,
At nemus usque legat. Pervenimus, ore silentes,
Unde, extra sylvam, prodibat parvulus amnis;
Cujus adhuc me rubra metu contristat imago.
Non secus ac scatebris Viterbi rivulus exit,
In sua quem flexum mox ducit tecta lupanar;
Ille per arentem sic decurrebat arenam.
Alveus, ac ripae, et margo de marmore uterque,
Nosse mihi dederunt, illic quod transitus esset,
Tenariam postquam, cunctis quae pervia, portam,
Nos sumus ingressi, tam nulla notabilis usquam
Res oculis est visa tuis, quam rivulus iste,
Se super injectas potis est qui extinguere flammas.

Talibus est fatus Doctor; quare ipse rogavi,
Escam ut porrigeret, cujus me implerat amore.
Semiruta, ille refert, medio jacet insula ponto,
Quam perhibent Cretam, cujus sub rege beatam
Gens hominum vitam, castisque in moribus egit.
Mons hic erigitur, nemorosis frondibus olim
Diues et undarum scatebris, qui dicitur Ida:
Nunc deserta jacet. Partu jam proxima, mater
Hanc sibi delegit Cybele, qua enixa locaret
Natum; et, ut illius fletus abscondere posset,
Pulsa dabat rancos attollere tympana cantus.
Hic, sub rupe cava, penitusque in viscere montis,
Stat senior, tergum Damiatae versus ad urbem,
Ac Romam inspiciens, speculum de more tuentis. (14)
Est caput ex auro, ex argento brachia pectusque,
Ex aere usque femur; constant dehinc caetera ferro;
Fictilis est pes dexter, quem super ille recumbit,
Plusquam alio. Pars omnis habet, si exceperis aurum,
Rimam: ex hac manant guttae, quae mox coeuntes
Hanc tranant rupem, ac vallem labuntur in istam.
His Acheron, Phlegeton, et Styx teterrima fiunt.
Deinde per hunc arctum decurrunt denique rivum,
Extremum usque locum, quo non descenditur ultra.
Cocytum hic faciunt, de quo nunc dicere omitto;
Quippe hunc tu aspicies. -Nostro si hic rivus ab orbe,
Dixi ego, progreditur, cur tantum hac paret in ora?
Ille mihi contra; hoc baratrum scis esse rotundum;
Et, licet ad laevam multum descenderis, omnem
Non es circuitum emensus: si videris ergo
Quidquam forte novi, ne te stupor occupet ullus.
Ipse iterum: Lethae ac Plegetontis flumina, dixi,
Quo sunt? illud quippe siles, hoc imbre creari
Istud ais. - Semper tua sunt quaesita, reponit,
Grata mihi valde; verum rubor ipse fluenti

Reddere debuerat reponsum ex talibus uni. (15)
Aspicies Lethen, sed non in sedibus istis,
Quo nimirum Animae vadunt se deinde lavatum,
Crimina cum sunt, quae deploravere, remissa.
Mox ait: est tempus jam nos absistere sylva;
Me sequere: est geminus margo via euntibus, unde
Ignis abest, omnisque supra restinguitur ardor.

XV. Margine marmoreo gradimur; quique udus ab amne
Erigitur fumus, sic temperat aera, nullus
Ut nos interea flammarum laederet imber.
Non secus ac aequor Batavi, gens accolȧ ponto,
Aggeribus cohibere solent, quod gurgite vasto
Illorum irrumpit campis; velutique, priusquam
Nix ex Alpe fluat, sua rura domusque tuentur
Medoaci cives Patavî a torrentibus undís;
Talis erat, quamvis haud sic excelsus et ingens,
Hic geminus margo, quicumque hunc condidit olim.
Jam sic sylva aberat, ut non hanc cernere possem,
Si vertissem oculos, cum, proxima margini euntum
Umbrarum occurrit turba, ac nos tale tuentum
Quale solet dubia lunae sub luce recentis.
Nos ita spectabant fixi, quo more foramen
Spectat acus senior contento lumine sartor.
Cum sic inspicerent, quidam me agnovit, et oram
Apprendit vestis: proh quam mirabile! clamans.
Vix brachium is mihi protendit, citus ipse perustam
In faciem defixi oculos; nec tristis imago
Quin nossem impediit: vultumque proinde reclinans (16)
Tune hic, Brunettus? dixi. Tunc ille vicissim:
Ne pigeat, fili, me nunc vestigia paulum
Tecum ferre retro, sociosque relinquere euntes.
Quin, ego respondi, cunctis te viribus oro;
Ac, si forte juvet mecum hic consistere, sistam,
Hic modo det veniam qui fert vestigia mecum.

Hoc, fili, is retulit, quicumque ex agmine sistit,
Centum deinde annos jacet; ac, dum laeditur igne,
Hunc sibi decutere haud valet: ergo age, perge, tibique
Ad latus haerebo· inde meum citus assequar agmen,
Damna aeterna querens. Non me demittere calle
Audebam, ut pariter graderer, sed cernuus ibam,
Qualis qui reverenter eat. Tunc incipit ille:
Quae sors aut fatum ante diem has te accedere sedes
Egit? et is quisnam est, qui te praecedit euntem?
Illi ego: in apricis vitae spirabilis oris,
Cum mea nondum aetas plenis adoleverit annis,
Deerrarum in tetram recto de tramite sylvam;
Hesterno hinc mane abscessi; et, cum rursus in illam
Regrederer, sese mihi protinus obtulit iste;
Perque iter hoc revehit. — Tua si catus astra sequaris,
Ille mihi, haud poteris non clarum attingere portum,
Si bene persensi, cum coeli vescerer aura:
Atque ego, si mortem non immaturus obissem,
Tam tibi prospiciens felicia sidera,, valde
Tete implessem animis; stimulosque ad coepta dedissem.
Ingratus vero hic populus, cui manat origo
Ex Fesulis, et adhuc quid saxi ac montis inhaeret,
In te crudeles, quod tu benefeceris, iras
Concipiet: non immerito; non convenit aspros
Quippe inter sorbos dulcem pubescere ficum.
Fama vetus vocat hos orbos, gentemque superbam,
Quam simul invidia, et nimius tenet ardor habendi.
Effuge tu illorum mores: tua dextera tantum
Te sors attollet, ut te pars utraque avebit;
Gramina sed capris aberunt. Se, straminis instar
Conculcent equidem Fesulana animalia, verum,
Ne plantam tangant, etiamnum siqua supersit
Illorum in coeno, semen sanctum unde revivat (17)
Romulidum, qui hic perstiterunt, quo tempore coepit

Tanta hic nequities. — Rata si mea vota fuissent,
Dixi ego, non esses vitalis luminis expers.
Alta mente manet, meaque implet corda dolore
Ille paternus amor, quo me praecepta docebas,
Quae dant aeternam mortali adquirere vitam.
Hoc mihi quam gratum fuerit, dum spiritus artus
Hos reget, haud unquam sileam, semperque fatebor.
Quae mihi ais vero discrimina deinde futura,
Haec scribo, atque aliis cum vocibus omnia servo,
Ut mihi declaret mulier, quae talia novit,
Hanc si deveniam, hanc si delatus adibo.
Hoc te scire volo: modo sit mens conscia recti,
Fortunam quamcumque pati sum corde paratus;
Non nova sunt haec verba mihi; proin sponte suapte
Verset agens Fortuna rotam, marramque colonus.
Haec dixi; dextramque meus Praeceptor in aurem
Respiciens, mihi ait: bene, qui rem denotat, audit. (18)
Ipse tamen, gradiens, Brunettum sciscitor, ecqui
Sint ejus comites, alios qui nomine praestent.
Est aliquem memorare bonum, reliquosque silere,
Ille refert: nec tempus enim daret edere cunctos.
Summa est: sacricolae omnes, ingenioque valentes,
Ac fama insignes, eadem quos culpa notavit,
Dum vitam exigerent. Priscianus it agmine in illo,
Atque Accursius una; et (si haec tibi cura fuisset) (19)
Cernere eum poteras, servorum Servus ab Arno
Quem removens, ad Medoacum dedit ire minorem,
Quo male protensos nervos dehinc morte reliquit. (20)
Plura quidem loquerer; sed non mihi verba viamque
Ulterius proferre licet; nam surgere fumus
Ex sabulo novus aspicitur: gens ecce proquinquat,
Cui socius non esse queo: quo in secula vivo,
Thesauri sit cura mei: non amplius oro. (21)
Inquit; et avertens, adeo velociter ivit,

Unus ut ex ìs, queis pannum Verona virentem
Praemia proponit cursus, est visus; et ille,
Qui prior optatam potuit contingere metam
XVI. Jamque locum attigeram, quo alium labentis in orbem,
Rumor aquae auditur, dant quale alvearia murmur;
Agmine digrediens cum praetereunte, cuccurrit
Ad nos Umbra triplex; clamans: vestigia siste, (22)
Qui nostra ex habitu prava de gente videris.
Hei mihi! quam laceros artus, quae vulnera vidi
Tum nova, tum vetera! usque adeo, ut, cum mente revolvo,
Moestus adhuc doleo. Ductor clamoribus illis
Advertit placide mentem: ac mihi lumina vertens;
Siste agedum, dixit: fas est his esse benignum;
Atque, nisi natura loci demitteret ignem,
Te potius, rerer, quam illos properare deceret.
Ut nos constitimus, solitos tunc edere rursus
Coeperunt questus: cumque inde fuere propinqui,
Ex ipsis fecere rotam (23). Ut nudi atque peruncti
Ante locum athletae, melius quo vulnera ferrent,
Captabant oculis, grave quam certamen inirent;
Talis quisque rotans mihi se vertebat: iterque
Propterea pes diversum, quam vultus, agebat.
Si locus infelix, exustaque corpora flammis,
Una loqui coepit, tibi nos nostrosque precatus
Temnere dant, te nostra tamen clarissima fama
Flectat, ut edoceas, qui sis, vestigia tutus
Qui sic viva teris per regna impervia vivis.
Hic, quem pone sequor, nudus licet ac sine pelle,
Nobilior quam rere fuit, Guidoguerra vocatus,
Casta, (24) tuus, Gualdrada, nepos: dum viveret, armis
Multa et consilio gessit. Me pone sequentis
Umbra est Tegghiai Aldobrandi; cujus, opinor
Vox grata esse quidem terrae deberet in oris.
Atque ego, qui, simul his crucior, sum nomine Jacob

Rusticuccius; atque magis, quam caetera, conjux
Prava mihi nocuit. — Si immunis ab igne fuissem,
Me in sabulum addiderim: tanto sum captus amore
Hos amplectendi! nec Doctor forte negasset;
At, quoniam arsissem, victa est terrore cupido.
Non mihi despectum, retuli, sed vestra dolorem
Conditio peperit, sero qui ex corde recedet,
Vix, quales estis, docuit me voce Magister.
Vestra mihi patria est; mihi nomina vestra lubenter
Gestaque sunt audita; ac magno semper amore
Haec colui. Fel linguo, et poma ad dulcia tendo,
Quae mihi Dux est pollicitus: sed vadere oportet
Me prius ad centrum. — Longum tibi spiritus artus
Sic regat, ac post interitum tua fama supersit,
Dic, ait, humani moras et mascula virtus
Nostra in gente manet? vel longius omnis abivit?
Nuper enim huc lapsus, sociosque secutus euntes,
Borserius non laeta refert, ac tristia narrat. (25)
Gens nova, tunc ego respondi, festinaque lucra
Luxuriem fastumque tibi, Florentia, tantum
Intulerunt, ut jam doleas. Haec vertice recto
Inclamans dixi; ac se, auditis talibus, Umbrae
Mutua sunt tres intuitae, ut qui vera tuetur.
Si tibi tam facile est alias explere rogatus,
Respondere omnes, felix o terque quaterque
Qui tam concinne loqueris. Si evaseris istas
Luctificas sedes, ac sidera pulcra reversus
Aspicias, cum deinde *fui* narrare juvabit,
Fac memor in populo nostrum reviresere nomen.
His dictis, solvere rotam, atque abiere citatim,
Non secus ac essent pedibus pernicibus alae.
Non amen citius dicas, quam sprotinu illae
Effugere oculis; visumque proinde Magistro
Est iterare viam. Confestim advenimus illuc,

Quo tam murmur aquae feriebat cominus aures,
Ut neque fas esset voces audire loquentis.
Non secus ac fluvius, proprio qui tramite ad Eurum
Labitur ex Vesulo, ad dextrum latus Appennini,
Lentus, aquae tacitae primum cognomine gaudens,
Mox vires alias alio cum nomine sumens,
Dat sonitum divi Benedicti desuper aedes,
In loca ab alpe ruens, possent ubi mille morari;
Talem, ex praecipiti decurrens rupe, ciebat
Unda rubens strepitum, ut confestim laederet aures.
Fune ego cinctus eram, qua olin constringere pictam
Pantheram sum posse ratus: discingere jussit,
Hunc mihi Praeceptor; cumque illi exinde plicatum
Tradiderim, ad dextram versus, de margine paulum
Hunc procul in baratrum jecit. Quare ipse silenter:
Res nova jam nutu debet, sum corde profatus,
Respondere novo, cui tantum is lumina tendit.
Quam cautos decet esse viros, cum talibus adsunt,
Qui non tantum opera, at solerti mente latentes
Inspiciunt curas! Tum sic est ille locutus:
Huc cito quod maneo, exurget: quod pectore volvis
Ipse sub incerto, se protinus offeret ultro.
Quantum quisque potest, semper, quae falsa videntur,
Vera loqui abstineat: sine culpa quippe pudorem
Ac probrum inducunt; sed non hic mittere possum.
Hos ego per numeros, mea queis Comoedia constat,
(Gratia sic illi multum contingat in aevum!)
Me, lector, testor vidisse per aera densum
Ad summas innare undas mirabile monstrum,
(Tale, quod absque metu nulli spectare liceret);
Ut redit, aequoreas qui se demittit in undas.
Anchorae ut ex fundo dentem divellat acutum,
Crura sibi contracta ferens, ac brachia tollens.

XXVII. En fera, quae multo praecellet acumine caudae

Quae transit montes, ac moenia rumpit et arma,
Quaeque suo foetore gravi mundum inficit omnem.
Sic mihi ait Vates: atque olli accedere ripae
Innuit, aud longe, via quo per marmora cessat.
Haud mora: continuo se lurida Fraudis imago
Huc tulit, ac ripae truncumque caputque propinque
Imposuit: non autem caudam extraxit ad oram.
Justi hominis facies inerat: tam pelle benignam
Exterius, mitemque adeo sese illa ferebat!
Caetera serpentis gestabat lubrica membra;
Brachia bina pilis, axillas ~~usque~~, rigebant;
Pingebant pectus dorsumque atque undique costas
Nodique exiguaeque rotae. Non Tartara, nec gens
Turcarum, tot filis versicoloribus unquam
Impositis ac subpositis oloserica pingit;
Nec tot meandris telas variavit Arachne.
Ut maris interdum consistunt littore cymbae
Partim undis partimque solo; atque ut Teutonas inter,
Piscibus insidians, Istri fiber accubat oris:
Margine marmoreo haud aliter, qui claudit arenam,
Bellua constiterat: baratro vibrabat inani
Cauda, veneniferum, scorpî de more, bicornem
Attollens apicem. Mihi Dux tunc inquit: oportet
Flectere iter paulum,, donec quo prava recumbit
Bellua, venerimus. Dextrum descendimus ergo
In latus; ac denos extremo in margine passus (26)
Progredimur cauti, ut sabulum vitemus et ignem.
Huc ubi delati, gentem considere arena
Non procul, ad locum inanem, vidimus. Et mihi Ductor:
Ut circi istius penitus tibi tota patescat
Conditio, vade; atque illorum conspice poenas;
At breviter loquere: interea, dum exinde redibis,
Huic ego suadebo, ne nos portare recuset
Sponte suis humeris. Sic dixit; eamque per orbis

Septeni extremam solus tunc deferor oram,
Moesta ubi gens sedet. Ex oculis dolor improbus illi
Erumpebat; et usque manus agitabat utrasque,
Nunc ignem removens, nunc aestum ardentis arenae;
Non secus ac rictu et pedibus defendere sese
Contendunt aestate canes, dum membra molestis
Pulicibus muscisque arcent dirisque tabanis.
Post ubi quorumdam in vultus mea lumina fixi,
Non ullum agnovi: cujusque at pendula collo
Pera mihi inspecta est, certo depicta colore,
Certum insigne gerens; atque hac visi lumina pasci.
Dum tuor, intentusque oculos per singula verto,
Lutea pera mihi glauci os habitumque leonis
Ostendit; cumque ultra hinc inspicerem, anseris albi
Plusquam butyrum, magis alrera rubra cruore,
Obtulit effigiem; atque unus, cui caerula foetae,
Candentem peram suis insignibat imago: (27)
Quid, me compellans, foveis agis, inquit, in istis?
Ocyus egredere, et quoniam spirabile lumen
Carpis adhuc, scito, quod mox meus ille propinquus
Vitalianus mecum hic laeva in parte sedebit. (28)
Cum Florentinis istis, Patavî ipse creatus
Hic sedeo, crebris qui obtundunt vocibus aures,
Clamantes: huc huc eques ille supremus adesto,
Qui peram ornatam gestabit triplice rostro. (29)
Dixit, et os torsit, linguamque ex ore procacem
Exeruit, veluti nares cum bucula lingit.
Tunc ego, ne mea Ductorem mora forte gravaret
Permetuens, qui jam monuit ne multa morarer,
Illico eum repeto. Jam tergum ascenderat ille
Immanis monstri; atque mihi: esto fortis et audax,
Inquit; oportet enim scalas nunc ire per istas:
Ante sali, in medio esse volo, ne cuspide cauda
Forte tibi noceat. Qualis, qui frigora sentit

Sic sibi quartanae instantis, ut palleat unques.
Totus membra tremit, prospectans territus umbram;
Sic ego sum factus, cum verba haec auribus hausi;
Aspera at illius monita induxere pudorem,
Qui dominum ante bonum famulo dat sumere vires.
His humeris me composui; ac: me complectere quaeso,
Dicere tunc volui, sed vox haud pectore prodit.
Ast is, qui me alio quondam in discrimine rexit,
Protinus, ut salii, brachiis me amplexus utrisque
Sustinuit. Nunc, Geryones, iter arripe, dixit;
Descensus modicus, latusque sit aere gyrus;
Esto memor, qualis tibi nunc est sarcina tergo.
Ut sensim acta retro, de littore cymba recedit,
Bellua sic sese movit. Cum libera cursus
Deinde fuit, quo pectus erat conversa retorsit
Caudam; mox hanc anguillae de more tetendit
Ac movit: brachiisque sibi simul aera traxit.
Non adeo extimuit Phaeton, cum fraena remisit,
Unde, ut adhuc paret, flammis exarsit Olympus;
Nec sibi compositis nudari corpora pennis
Icarus ut sensit, ceram solvente calore,
Frustra clamanti patre: non bene in aethera tendis;
Sicut ego expavi, medio cum me aere vidi
Suspensum, praeterque feram nihil undique cerni.
Leniter illa rotat; geminansque per aera gyros,
Tam leve descendit, vix ut cognoscere possem,
Praeter, quod crura et vultum mihi ventilat aura.
Jamque ingens amnem sub nobis edere murmur
Ad dextram audibam; atque ideo illuc lumina flexi.
Tunc magis obrigui; quippe ignes fulgere vidi
Ac gemitus hausi: quare tremefactus utrumque
Contraxi femur. Ac tum me descendere sensi:
(Quod prius haud noram) tormentaque plurima circum

Adduci, ex omni magis accedentia parte.
Qualis, ubi longum falco per inane volavit,
Qnin videat volucrem aut signum revocantis ab aethra,
Multiplicans gyros, fessus, celer unde profectus,
Descendit; quare auceps: heu mihi laberis! inquit:
Ille procul sistit valde indignatus et asper;
Sic, ubi Geryones descendens venit ad imum,
Constitit extemplo, quo desinit invia rupes;
Nosque ibi deposuit: mox, ut nervo acta sagitta,
Proripuit sese, rapideque per aera fugit.
XVIII. Est locus inferni, *Malebolge* nomine dictus,
Marmoreo ex saxo, tetra ferrugine tinctus,
Æque ac incurvus, quo cingitur undique, murus.
In medio est puteus, valde ingens atque profundus,
(De quo deinde loquar): ripam puteumque patentem
Area quae superest inter, se tendit in orbem;
Ac fundum in denas valles distinguitur imum.
Quales, ut major firmet custodia muros,
Praetexunt multae castella ac oppida fossae;
Tales hic aderant; pontesque ut ab arcibus illis
Ad ripam externam veniunt, sic rupis ab imo
Prodibant scopuli, foveas ripasque secantes,
Dum puteum attigerint, qui incidit et excipit illos.
Hic nos Geryones posuit; laevaque Magister
Est ingressus iter: sum pone hinc ipse secutus.
Tum nova tormenta, atque novos, qui verbere caedunt,
Lictores vidi, quibus hoc septum omne repletur.
Nudi in fundo aderant sontes: pars obvia nobis,
Altera nobiscum, at gradibus majoribus, ibat.
Lustralis veluti quam Romae congregat annus,
Turba frequens pontem geminato tramite transit,
Altera castellum versus, pars altera montem:
Sic ego cornigeros conspexi Daemonas illinc

Atque hinc per saxum, his caedentes verbere terga.
Heu quam tollebant volucri vestigia gressu,
Vitantes plagas, nec jam ingeminare sinentes!
Dum gradimur, quamdam mihi cernere contigit Umbram
Quam simul ac vidi: non est incognita, dixi;
Quare oculos illi infixi; dulcisque Magister
Constitit; ac retro paulum me vadere sivit.
Ille flagris caesus, demissa fronte latere
Est potuisse ratus. Frustra tu lumina, dixi,
Figîs humi, sat nota mihi nisi fallit imago,
Es tu Felsinea Caccianimicus ab urbe
Venedicus: quidnam poenas adduxit ad istas?
Invitus dicam; sed me tua clara loquela,
Ille ait, impellit, quae me facit esse vetusti
Nunc memorem mundi: is sum, qui indulgere sororem
Ghisòlam induxi pulcram Marchionis amori; (30)
Quidquid fama sonet. Non ipse ex civibus unus
Hic fleo Felsineis; sed tam locus iste repletur,
Ut non tot linguae Rhenum inter *sipa* loquantur (31)
Et Savenam; et, si per testes vis certior esse,
Esto memor, nostrique sinus reminiscere avari. (32)
Talia dicentem percussit verbere Daemon:
Hinc apage, nulla hic venalis femina, clamans.
Ipse Ducem repeto, Paucis mox gressibus actis,
Venimus, ex ripa scopulus quo exibat, et illum
Insilimus leviter: vestigia deinde ferentes
Hunc super ad dextram, aeternos hos liquimus orbes (33)
Huc ubi delati fuimus, quo, subter inanis,
Dat vacuos aditus, ut sit via verbere caesis;
Siste tenax, mihi ait Vates, et dirige vultum
In reliquos istos sontes, quorum hactenus ora,
(Nobiscum venere etenim) spectare nequisti.
Tunc parte ex alia turbam, nos versus euntem,

De ponte aspicimus, pariter quam verbera caedunt.
Ac Ductor mihi sponte sua: illum conspice, dixit,
Magnanimum, nullos cui dat dolor edere fletus.
Quantus adhuc est oris honos! is clarus Iason,
Corde manuque valens, aureo qui vellere Cholcos
Privavit. Lemnum is venit, qua sexus in urbe
Femineus tum caede viros deleverat omnes;
Castam hic pollicitis et blanda voce fefellit
Hypsiphylen, alias quae jam deceperat arte:
Mox fugiens, foetuque gravem solamque reliquit.
Hic modo persolvit meritas ob talia poenas.
Ob quoque Medaeam. Snnt hic, quicunque dolosis
Illicebris muliebre genus corrumpere curant.
Hac prima de valle satis. Jam venimus illuc,
Aggeri ubi via, more crucis, se angusta secundo
Inserit, alterius tergum qui deinde fit arcus.
Hic alia in valle infremere atque attollere questus
Audimus, palmis quae se gens verberat ipsam.
Sordebant tetrae foeda lanugine ripae,
Quam gravis, ex imo exhalans, induxerat aura
Concrescens, simul et nares et lumina laedens.
Atrum adeo fundum, quod nunquam attingere visu
Fas est, ni scopulo sistatur culmine summo.
Hic ubi constitimus. demersos stercore vidi,
Qualis ab immundis manat de more latrinis.
Dum fundum inspicio, atque oculis hic singula lustro,
Est quidam caput inspersus sic stercore visus,
Noscere ne possem an laicus vel clericus esset.
Atque is me increpuit: cnrnam me ex agmine solum
Intueris? Quoniam, retuli, si rite recordor,
Siccum te vultu vidi, atque Alexius audis
Intermineus, Lucensi civis in urbe.
Tum, caput is pulsans: hoc me mersere profundo
Blandiloquae voces, quarum mihi copia nunquam

Defuit. Haec ille; atque mihi sic deinde Magister:
Ulterius contende oculos, ubi sordida, passis
Illa comis mulier, foedatis unguibus ipsam
Se lacerat, nunc inclinans, nunc deinde resurgens.
Est Tais meretrix, olim quae dixit amanti:
Non magnas ago, sed miras, pro munere grates.
Atque hic sit nobis satis hac in valle videre.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER III.

XIX. Sage Simon, miserique omnes hujusce sequaces,
Qui, devota Deo atque bonis dedenda, rapaces
Venditis argento atque auro, nunc buccina oportet
In vos det sonitum, cohibet quos tertia valles.
Jamque, alia in fovea, scopuli nos vertice eramus
In summo, mediam feriunt ubi lumina fossam.
Proh quam mirificam artificis sapientia summi
Celoque ac terris Erebique in sedibus artem
Ostendit! quam cuncta modis sunt dissita justis!
Ipse foraminibus petram vidi undique plenam
Per fundum et costas, cunctis pariterque rotundis
Ac pariter latis. Non majora atque minora
Hisce reor, quae sunt sacra mei in aede Joannis,
Rite ubi lustrantur pueri baptismatis unda:
Quorum ego, nec multum dilapsum est temporis, unum
Confregi, ut mersum eximerem de morte puellum:
Sitque hoc certa fides, aliter ne forte putetur.
Extabant cujusque pedes et crura nocentis
Usque ubi pinguescunt, foris: intus cetera membra.
Utraeque ardebant plantae; quas impete tanto

Quassabant ideo, ut funes disrumpere possent.
Cortice uti summo repit res flamma per unctas,
Sic erat a talo ad digitos. Tunc ipse: Magister,
Quis, dixi, ille est, prae reliquis quem flamma perserit
Acrior? ac majus tormentum ferre videtur?
Si libet, ille refert, ut, qua depressior ora est,
Illuc te ducam; quod vis, de se ipse docebit.
Quae tibi, respondi, est eadem mihi corde voluntas:
Tu dominus, placitisque tuis absistere nunquam
Me nosti; nostique simul quae corde latescunt.
Haec ubi dicta dedi, ad quartum devenimus aggerem;
Et versi ad laevam, in fundum descendimus arctum:
Nec meus ex femore, in quo me susceperat, ante
Deposuit Doctor, quam venimus usque foramen,
Fixus ubi ille adeo pedibus diverberat auras.
Quisquis es, inverso qui fixus corpore, dixi,
Hic ploras, veluti stipes plantatus in agro,
Si potes, eloquere. Adstabam collo ipse retorto,
Non secus ac prona accipiens sacer aure minister
Crimina latronis. qui, postquam fixus in alta
Est fovea, hunc revocat, vitam producere quaerens.
Tunc hic? tune hic rectus ades, Bonifacius? inquit (1)
Is clamans: aliquot mihi scriptum erravit in annis.
Tam cito opum satur es, per quas tibi adepta dolose
Pulcra fuit mulier, vexataque deinde nefande?
Ut, sibi responsum qui non intelligit, haeret
Tristis, et ore pudens, ac voces reddere nescit;
Sic tunc ipse fui; at Doctor mihi protinus inquit:
Dic, dic, non sum quem reris: jussumque secutus
Sic ego respondi. Plantas impensius ambas
Is movit; mixtoque trahens suspiria fletu;
Quid me ergo rogitas? dixit: si discere quaeris
Qui sim, teque hic egit amor descendere ripam,
Scito quod augusto super omnes tectus amictu

Incessi, vereque fui prognatus ab ursa; (2)
Nam mihi, ut ursiculos ditarer, tanta cupido
Sedit, ut aes terris, hic me in marsupia misi.
Me subter jaciunt, per aperta foramina tracti,
Qui, sacra vendentes, vitam me egere priores.
Huc etiam ipse cadam, simul ac devenerit ille,
Quem ratus ante fui, cum sum scitarier orsus.
Verum hic ardenti ac fixo mihi longior aetas
Ivit; quam plantis mox ille morabitur ustis.
Requior hinc veniet, sine lege ac moribus, alter
Solis ab occasu, Pastor: quo tectus et ille (3)
Atque ego mox erimus. Se, sicut Iason, habebit,
Quem, Machabeorum ut scriptum est annalibus, olim
Rex suus in decus evexit, sic, rege favente
Gallorum, hic surget. Fuerimne audentior aequo
Hic ego non novi; quippe his sum vocibuc orsus:
Dic mihi, quid petiit Dominus, cum tradere claves
Jam voluit Petro? haud aliud, nisi cominus iret.
Non Petrus atque alii argentum petiere nec aurum,
Cum data Mathiae est sedes, quam amisit Iudas.
Hinc bene habet: poena premeris, quam jure mereris.
Sit tibi pervigili male parta pecunia curae,
Infensum regi quae te dedit esse Sicano. (4)
Asperiora quidem loquerer, nisi fraena loquenti
Clavibus injiceret reverentia debita summis,
Quas tu gessisti vivus: nam vestra fatigat
Turpis avarities mundum, pravosque juvando
Vexandoquae bonos. Vobis pastoribus exul
Intendit Palhmos, quando cum regibus illam
Moechari aspexit, quae supra considet undas.
Illam, inquam, septem quae jam cum cornibus orta est
Ac sibi bis quino ex capite aquisivit honorem,
Dum moresque boni ac virtus placuere marito. (5)
Vobis esse Deum argenteum fecistis et aureum:

Quid vobis, nisi quod vos centum, ille excolit unum,
Discrepat idoli cultor? Quot causa malorum,
Non tua deditio Fidei, se copia rerum
Constantine, fuit, quam tu pro dote dedisti
Pontifici primo diti! Dum talia farer,
Sive ira illum ageret, mens conscia sive remordens;
Aera vi magna pedibus pulsabat utrisque.
Ipse meas voces Vati placusse putavi,
Vultu etenim blando intentas his praebuit aures.
Hinc, me complexus, sibi postquam ad pectora pressit,
Rursus cepit iter, per quod devenerat ante:
Nec fessus me ferre fuit, dum detulit arcum
In summum, ex quarto per quem agger quintus aditur,
Suaviter hic onus exposuit, sibi dulce, per asprum
Irrepens scopulum, quo vix foret ire capellis;
Ingressosque viam, vallis nos quinta recepit.
XX. Me decet hic alias evolvere carmine poenas,
Primum opus ut repleam, quod mersos pandit Averno.
Jamque paratus eram detectum cernere fundum,
Quod planctu assiduo lacrymisque madebat amaris;
Ac gentes tacito conspexi incedere gressu
In gyrum, edentes fletum, quo consona passu,
Rite preces iterans, graditur pia turba per urbes.
Utque magis deorsum flexi mea lumina, versos
In tergum heu! vidi revoluto gutture vultus.
Ad renes erat his facies; retroque meabant,
Cernere quippe ante haud paterant. Sic forsitan artus
Contraxit cuidam misero vis improbe morbi;
Ast ego non vidi, fieri nec credere possum.
Sic tibi det Deus ex his fructum sumere chartis,
Collige sponte tua, lector, num flere nequivi
Torta adeo cum nostra mihi se obstendit imago,
Luctus ut ex oculis per clunum curreret alveum.
Flebam, subnixus scopuli de cautibus uni.

At Dux me increpuit: tun ex dementibus unus?
Hic vivit pietas, cum sit demortua: quisnam
Improbior, quam divino qui obsistere tentat
Consilio? Caput attolle, attolle, inspice Achivum,
Cui quondam Thebes patefacta est terra sub arces,
Omnia dum late clamarent agmina: quonam,
Anphiarae, ruis? cur praelia linquis? At ille
Haud ruere abstinuit, donec Minois ad ora
Adstitit, artifices scelerum qui corripit omnes.
Aspice ut inverso est olli pro pectore tergum:
Lumina nunc retro gerit, ac vestigia retro
Nunc defert, quoniam voluit nimis ante videre.
Aspice Tyresiam, qui vir, dehinc femina, membris
Mutatis fuit; atque artus non ante viriles
Induit hinc iterum, quam iterum percusserit angues.
Aspice et Arontem, illius qui proximus alvo est; (6)
Qui Lunae exegit celsis in montibus aevum
Terram ubi praeduram exercet Carraria pubes,
Albentes inter cautes, ut cerneret astra,
Ac maris aspectus longe lateque pateret.
Aspice et hanc, operit quae crinibus ubera fusis,
Quae non ipse vides, partes aversa pilosas.
Haec Manto; quae, cum multas peragraverit oras,
Constitit hinc terris, ubi me genuere parentes.
Paulum proinde meis adhibe sermonibus aures.
Postquam obiit pater, et Bacchi sunt urbe potiti
Victores hostes, patriis ex sedibus exul
Illa diu erravit. Lacus est, ubi pulcra sub Alpes
Italia exsurgit, queis se Germania claudit,
Tirolum supra, Benacus nomine dictus.
Mille fluunt scatebris et cuncta huc flumina currunt
Inter Peninum, Camunosque, ac moenia Gardae,
Nacta ubi planitiem, coeunt stagnantibus undis.
Est locus in medio, in quo et Brixiae, et ille Tridenti,

Illeque Veronae, posset benedicere Pastor,
Si gressum huc ferret. Jacet hic Piscaria, fortis
Finitimos adversum urbs, qua declivior ora est.
Hac, ex Benaco exundans, delabitur humor;
Ac virides secat amnis agros, qui nomine fertur
Mincius, Eridani donec se mittit in alveum.
Non longum decurrit iter, lamaque reperta,
Sistit, fitque palus; nocuisque vaporibus auras
Inficit, aestivis cum fervent solibus undae.
Aspera dum virgo hac transit, cultuque carentem
Atque viris, medio aspiciens in gurgite terram,
Hic sibi, ut humanae fugeret commercia gentis,
Cum sociis posuit sedem: hic exercuit artes
Illa suas, vitamque exegit, et ossa reliquit.
Finitimi inde locum, stagnantibus undique lymphis
Cum tutum aspicerent, urbem super ossa locarunt;
Sortibus ac nullis habitis, ex nomine Manto
Mantua dicta fuit. Majori gente, priusquam
Casalodensis fraudem ex Pinamonte tulisset (7)
Sstultitia, affluxit. Vera est haec urbis origo:
Si secus audieris, vana et mendacia credas.
Tunc ego: sic certam faciunt tua verba, Magister,
Indubiamque fidem, ut, veluti sine lumine taedas,
Caetera censerem. Sed dic, nam intentus ad unum
Est meus hoc animus, num quemquam in gentibus hisce
Aspicias nosci dignum. Is, cui pendula barba
Obnubit nigros humeros, tunc ille reponit,
Augur erat, maribus caruit cum Graecia cunctis,
Usque adeo, ut pueros vix incunabula haberent;
Ac primus jussit, socio Calchante, rudentem
Aulide praecidi: Eurypylum dixere vocantes,
Ut (quam scis totam) mea magna tragaedia narrat.
Alter, cui tenues artus angustaque imago,
Michael est Scottus, magicas qui calluit artes.

Bonattum. Asdentemque vide, intendisse suendis
Qui crepidis vellet: sero sed poenitet illum. (8)
Aspice et has tristes, quae sunt praescire professae
Venturos rerum casus, et imagine et herbis
Fascina condiderunt, radiis fusoque relictis.
Verum rumpe moras; gemini confinia quippe
Luna hemispherí tangit, seque aequore subter
Hispalin immergit, pleno quae candida vultu
Hesterna (meminisse decet) tibi nocte refulsit,
Teque per obscuram lustravit lumine sylvam.
Tales, dum gradimur, voces dabat ore Magister.
XXI. Sic nos ex ponte in pontem, sermone serentes
Plurima, quae mea non curat memorare Camoena,
Venimus, ac summum attigimus; quo, ut quinta pateret
Valles, ac luctus alios tueremur inanes,
Sistimus: est miro mihi visa offusa nigrore.
Tempore ut hiberno Venetis navalibus humor
Ebullit piceus, non aptis ire per altum
Ungendis ratibus: navim tunc innovat alter,
Alter et instaurat, quae saepe per aequora navit;
Hic quatit in prora, in puppi quatit ictibus ille;
Conficit hic remos, is stupea vincula torquet;
Majus et hic velum, velum minus ille resarcit:
Haud aliter, non igne calens, sed Numinis arte,
Densa hic fervebat pix; atque aspergine tetras
Undique foedabat ripas. Hanc ipse videbam,
Ast ibi nil aliud, quam quod nunc illa tumeret
Altius, ac fundo nunc pressa resideret imo.
Hoc ego dum tuerer, totusque intentus ibidem
Haererem, caveas caveas. Dux inquit; et una
Ex loco ubi stabam removens, ad se ipse retraxit.
Tunc ego me verti, qualis qui serius aequo
Evitanda videt; subitoque timore subactus,
Amttit vires, sed non vitare periclum

Tardat, ut aspiciat. Nigrum tum Daemona vidi
Currere post nos per scopulum. Quam dirus et asper
Ille erat, extensis alis, et praepete gressu!
Elatis humeris sontem portabat, utrisque
Correptum pedibus: ecce ex senioribus unus
Sanctae, inquit, *Zitae* (9). Malebranchae, immergite fundo;
Quippe ego ad hanc terram redeo, quae his praedita abunde est
Quisque hic fraudator, Bonturum praeter (10); et omnes
Fasque nefasque facit lucri miscere cupido.
In foveam, haec fatus, jecit: tum deinde recedens,
Per scopulum repetivit iter; nec promptior unquam
Irruit, insequiturque canis vestigia furis.
Ille picem immersus subiit, subitoque recurvus
Ad summum emersit; sed qui sub ponte tuentes
Daemones adstabant: non hic sacra habetur imago; (11)
Non hic, dixerunt, velut Æsaris amne natatur:
Sub piceis te conde vadis, nec gurgite membra
Exertes, si vis uncos evadere nostros.
Plus centum inde virum arripuere tricornibus uncis:
Hic opus occulte est salias, hic necte latentes,
Si poteris, dixere, dolos. Ita mergere in olla,
Ne fluitet, carnem famulis coquus imperat unco.
Tunc mihi Praeceptor: ne quis te advertat adesse,
Post scopulum lateas, inquit; nec deinde timeto,
Siquid discrimen mihi forte incumbere cernas:
Cuncta mihi constant; alio nam tempore ad istud
Certamen veni. Sic est effatus, et una
Trajecit pontem. Sextam cum contigit oram,
Tunc fuit illi animis usus. Quo turbine et ira
Irrumpunt ex aede canes adversus egenum,
Qui poscit, vix sistit, opem; sic Daemones omnes,
Qui suberant ponti, simul exiluere, et in illum
Verterunt uncos. Nemo, is, nil territus, inquit,
Me laedat: quisquam ex vobis se huc deferat ultro,

Cui loquar; ac mox, si credat, me apprenderit unco.
Clamarunt: Malacauda adeat. Tum protinus unus,
Agmine digrediens, aliis sistentibus, illum
Advenit; secum: quidnam hoc profecerit? ajens.
Num, Malacauda, putas sine fato ac Numine destro,
Praeceptor dixit, Stygias me hucusque per umbras
Venisse incolumem? sine me procedere; quippe
Has alii me aperire vias est aethere fixum.
Detumuit tunc olli animus: dextra excidit uncus:
Ac, versus sociis, hunc parcite laedere, dixit.
Haud mora: me Vates vocat: o, formidine pulsa,
Qui post saxa lates, ad me vestigia defer.
Inquit; et extemplo exsilui, Vatemque petivi.
Daemones, ut me viderunt, simul undique cuncti
Adstiterunt; captusque ideo terrore, verebar
Praestarent ne forte fidem. Sic ire paventes
Vidi olim pedites, cum, deditione peracta,
Tot se Capronae ferrent ex arce per hostes.
Ductori haerebam, ac nunquam mea lumina ab illis
Vertebam; nil namque boni prae se ore ferebant.
Namque inclinabant uncos, ac voce vicissim:
Visne huic, ajebant, me ferrum impingere tergo?
Responsumque dabant; agesis, alte imprime ferrum.
At, Vati qui fatus erat: siste, ocyus inquit,
Siste age, Scarmalio. Vobis, est deinde locutus,
Ulterius non ire licet; nam sextus ad imum
Prorutus est arcus: si vobis ire voluntas
Est tamen ulterius, sursum specus ite per istud:
Proximus est alter scopulus, qui ducit euntes.
Se, die ub hesterna, quinis paulo amplius horis,
Mille ac bis centum, sex sexagintaque cursum
Implerunt anni, cum sese haec semita rupit.
Huc socios aliquot mitto, qui ex more tuantur,
Ne piceo quis ab amne natet: simul ite, metumque

Ponite, ne noceant. Clazon, dehinc dixit, Alastor,
Manduce, Algion, huc vos accedite: ductor
Esto copiolae tu, Pogonule; Cerastes
Sese addat, torvusque Arpax, et luminis osor
Nisticorax, et cum socio Titane Taractes:
Quaerite num piceo latitent sub gurgite sontes:
Hi sint incolumes, donec veniatis ad alterum,
Integer has supra foveas qui tenditur arcus.
Quod video! heu! dixi: soli, Praeceptor, eamus,
Si via nota tibi: comites non ipse requiro:
Si de more sapis, nonne illos ringere cernis?
Atque supercilio nobis indigna minari?
Te volo, respondit, nulla formidine tangi:
Ringere sponte sinas: id agunt sub gurgite mersis.
Illi iter invadunt, tendentes argine laevo,
Ante, duci in signum, linguam sibi dente prementes;
Atque is, more tubae, diffissa clune pepedit

XXII. Castra movere equites, certamen inire, fugamque
Carpere jam vidi, atque acies se ostendere campo;
Depopulatores alienae irrumpere terrae,
Atque excursores Areti equitare per agros;
Ludere vidi armis, et praelia ficta ciere,
Tympana dum signum, vel tintinnabula, pulsu,
Vel tuba, vel lituus, vel missus in aera fumus
Alta ex arce, daret; nostratum more, perinde
Ac alienigenûm; nunquam at procedere signo
Quod tunc ille dedit, vidi peditesque equitesque,
Aut navim, ad stellae visum vel littoris, ire.
Haud mora: Daemonibus denis comitantibus, imus:
Quam tristes comites! sed, pro ratione locorum,
Cum Sancto in templis, cum potatore tabernis.
Me tamen intentum gurges picis ater habebat,
Ut foveae mores omnes, in eaque perustam
Aspicerem gentem. Quales delphines in alto

Cum tergum attollunt, propereque ad littora nautas
Ire monent; cupidus poenae sic saepe levandae,
Quisquam attollit dorsum; sed, fulguris instar,
Protinus abdebat. Velutique in margine fossae
Exertant ranae rictum, dum caetera lymphis
Membra inclusa latent; sic stabant undique sontes.
At, simul his aderat Daemon, retro ora trahebant.
Vidi ego, ut interdum, dum desilit altera ripa,
Altera rana manet, quemdam vidi ipse morari.
Horresco referens; crines huic protinus udos
Nicticorax unco arripuit, ceu lutra fuisset,
Ac pice dextraxit (Cunctorum nomina noram;
Quippe haec audivi cum delecti ante fuerunt,
Ac mentem adverti, quoties se deinde vocarunt.)
Huic age, clamabant alii, sic fortiter ungues
Jnsere, Manduce, ut penitus corium omne revellas.
Tunc ego: Praeceptor, dixi, fac scire, quis iste
Si potes, infelix, tam diros lapsus in hostes.
Illius accessit lateri, petiitque Magister,
Quisnam, ac unde domo. Cui talia reddidit ille.
Cantaber ipse fui: mater, quae ex patre creavit,
Tam male morato, ut sese ac rem perdidit omuem,
Servitio addixit. Thebaldi regis in aula
Dehinc famulus, fraudes sum nectere subdolus orsus
Ac versare dolos; quare hoc nunc plector in aestu.
Tales edentem voces, furibundus Alastor,
Qui geminos dentes, apri de more, ferebat,
Perculit hunc uno, et quantum proscindere posset,
Persentire dedit. Nimium mus ille malignis
Felibus inciderat! Tum Pogonulus utrisque
Amplexus brachiis: socii, hinc absistite, dixit,
Solus ego infigam. Versus mox ille Magistro:
Siqua tibi noscenda manent, inquire, priusquam
Dilanietur, ait. Dixit tum proinde Magister:

Incipe de reliquis ergo mihi pandere quidquam:
Scisne, an sub pice quis lateat de gente Latina?
Reddidit is contra: modo sum digressus ab uno,
Non procul ex illis vitam qui duxerat oris:
Oh ibi mansissem! non uncum unguesque timerem.
Quae mora? clamavit Clazon; atque ilicet unco
Illi corripuit brachium, avulsitque lacertum.
Vult etiam Algion immittere cruribus uncum;
At circum est torvo intuitus dux agminis ore.
Cum paulum redît inde quies, tunc ocyus illi,
Qui sua spectabat queribundus vulnera, Vates,
Quis foret is, petiit. Frater Gomita, reponit, (12)
Ille ex Gallura, quo non praestantior alter
Est usquam versare dolos; qui Principis hostes
Detentos, auro victus, velut ipse fatetur,
Dimisit laetos; et caetera munia fungens,
Insignis fraudator erat. Prope Zanchius adstat (13)
Ex Logoduro, ac de Sardis persaepe loquuntur.
Plura edam; sed, me miserum! ut stridentibus ille
Dentibus infrendit! vereor, ne me impetat unco.
At Titanem, oculis torvum atque ferire peratum,
Dux turmae increpitans: huc siste, avis improba, dixit.
Securus tunc ille metus: si forte videre
Atque audire juvat, qui vitam egere per oras
Inquit, et Eridani atque Arni, huc accedere faxim:
Daemones at cessent, ne quid vereantur ab illis
Ultricis poenae; atque hoc ipse in littore sidens,
Septem pro me uno arcessam, cum sibila mittam,
Ut mos est noster, cum quis de gurgite prodit.
Extulit os, quassansque caput, cum verba Cerastes
Audiit: oh, dixit, genus admirabile fraudis,
Quod sibi hic invenit, piceo ut se gurgite condat!
Ille, dolis dives; vere sum callidus, inquit,
Qui sociis pejora paro. Non turbidus Arpax

Tum se continuit, sociis haud consona censens:
Eja age: non ego te pedibus, si elabere, dixit,
Insequar, at rapide pandam pice desuper alas.
Margine distemus: nos a te dividat ora,
Ut videam, num prae nobis potes omnibus unus.
Audi, lector amice, novi spectacula ludi.
Vertit in adversam quisquis tum lumina ripam,
Ille prior, qui hoc abnuerat. Tum, tempore capto,
Cantaber extemplo impegit vestigia terrae,
Insiluitque pici, promissaque vana reliquit.
Omnes invasit dolor, at magis omnibus illum,
Effugii qui causa fuit; quare alite cursu,
Jam jam te arripio, inclamans, est pone secutus;
At nil profecit: timor extitit ocyor alis.
Ille picem subit, atque alter tum, pectore verso,
Sursum se erexit volitans. Sic aethere ab alto
Cum sibi vidit anas raptorem incumbere milvum,
Protinus aufugiens, liquidis se territus undis
Abdit; et is fractus redit indignatus in auras.
Ob fraudem iratus, gaudensque quod ille refugit,
Ut pugnam Arpaxi incuteret, vix Cantaber atram
Insiluit foveam, Titan procurrit in illum,
Injecitque ungues: haud segnior obstitit alter;
Ac simul impliciti piceo sunt gurgite lapsi.
Æstus dissoluit nexos; sed surgere ab amne
Nequaquam poterant; tam pix infecerat alas!
Quattuor adversam tum Pogonulus in oram,
Multa dolens, propere misit; qui jussa profecti
Ad loca, demersis hinc illinc protinus uncos
Protulerunt, quos jam fervens decoxerat humor
Talibus haerentes tricis nos linquimus illos.

XXIII. Solique ac taciti gradimur, prius alter, et alter
Deinde sequens, velut est fratres mos ire minores.
Inspectam ob rixam, Æsopi mihi fabula menti

Occurrit, qua est de rana ac mure ille locutus:
Omnia namque pares; nec sic est gutta profecto
Assimilis guttae, inspicitur si mente sagaci
Principium et finis: tam congruit utraque ad unguem!
Utque alius solet ex alio prorumpere sensus,
Alter sic illo est ortus, valdeque priorem
Auxit deinde metum. Mecum sub pectore fabar:
Pro nobis adeo hos damnum et ludibria tangunt,
Ut valde, reor, indoleant: accensus ab ira
Si malus est animus, nos acrius aggredientur
Quam canis incumbens lepori. Mihi cuncta rigebant
Jam nunc membra metu; ac vertebam lumina retro.
Praeceptor, dixi, nisi me et te abscondere curas,
Daemonas huc timeo: nos ecce sequentur euntes;
Sic mente hos video, ut sonitus mihi verberet aures.
Si speculum ipse forem, retulit, non extima imago,
Sic mihi se tua praeberet, velut intima praebet:
Par mihi consilium, pariles sunt pectore curae;
Mens adeo est eadem, ut duplex confletur in unam.
Si dextra est talis ripa, ut descendere detur
Subjectam in vallem, certe vitabimus illos.
Vix ea finierat, tensis cum protinus alis
Non procul irruere aspexi, ut comprendere vellent.
Me cito corripuit Vates, ut sedula mater
Ad primum evigilat murmur; flammasque propinquas
Aspiciens, natum rapit, ac nihil inde moratur,
Dum solum intusium capiet, plus prolis amore
Quam comprensa sui. Per scrupea saxa supinum
Se jecit ripae, qua clauditur altera valles.
Non ita apud palas velociter unda canali
Volvitur, impulsura rotam, lapidemque molarem;
Per ripam velut ille ruit, me pectore gestans,
Non comitis more at nati. Vix illius imum
Attigerunt plantae, summi cum margine collis

Nos super adstiterunt; sed nil fuit inde timendum:
Nam Deus omnipotens, a quo custodia quintae
Commissa his foveae, nunquam hac discedere jussit.
Hic gentem invenimus pictam; quae passibus ibat
Lentis, effundens lacrymas, ac fracta labore;
Pallia gestabant, atque ora obtecta cucullis,
Qualia caenobiis Rhenana Colonia texit.
Illita sunt foris auro, oculosque nitore lacessunt,
Intus tam plumbo gravia, ut non secius essent
Ac paleae, quae jam imponi, Friderice, jubebas.
Oh vestis pondus, quod nulla levaverit aetas!
Vertimur ad laevam, ac turbam comitamur euntem,
Fletibus intenti; sed gens tam segniter ibat
Pressa onere, ut comites nobis, gradientibus unà,
Quisque gradus mutare daret. Quare: inspice, dixi
Ipse Duxi, si quem factis aut nomine noscam;
Ac circum converte oculos. Tunc ilicet unus
Post nos, qui Thusco audivit sermone loquentem:
O cohibete pedem, quicumque per aera tetrum
Curritis; a me fortassis, quod poscis, habebis.
Dixit. Conversus Vates me sistere jussit.
Atque pari dehinc ire gradu. Vestigia pressi,
Atque duos vidi, quorum se jungere mecum
Ex vultu parebet amor; sed pondus et arctum
Impediebat iter. Postquam venere propinqui,
Ac nostro adstiterunt lateri, me lumine torvo
Sunt valde intuiti, presso nihil ore loquentes;
Mox, inter sese versi, dixere vicissim:
Gutturis ad motum, vitam hic agitare videtur;
Sin autem vita careant, quae gratia reddit
Ponderis immunes? Mihi sunt dein talia fati:
O qui nunc vallem, quo gens dat hypocrita poenas,
Thusce, venis, qui sis ne dedignare fateri.
Sum natus, refero, membrisque ac viribus auctus

Urbe illa in magna, pulcher quam interfluit Arnus:
Membra gero, quae semper gessi: at dicite quaeso
Vos qua gente sati, quo dicti nomine, tantus
Queis, velut aspicio, rigat ora miserrima luctus?
Quae vos poena premit, tanto fulgore relucens?
Sic aurata gravant nos pallia, reddidit unus,
Non secus ac nimio strident cum pondere lances.
Gaudentes fuimus fratres, et Felsina nobis
Est patria: hic Lotaringus nomine et ipse vocatus
Sum Catalanus: tua nos, solam utpote agentes
Privatim vitam, urbs olim delegit utrosque
Rectores, ut pax animis discordibus esset;
At quales fuimus, Guardinghi semita monstrat. (14)
Vestra mala, o fratres, coepi; at non amplius inqui;
Quippe, solo infixus trinis hastilibus, unus
Occurrit confestim oculis. Se corpore toto
Is tunc distorsit, simul ac me adsistere vidit,
Multaque sufflavit mittens suspiria barbam.
Hoc Catalanus cernens, mihi talia dixit:
Quem terrae tu haerere vides, hic suaserat olim
Abramidis opus esse unum demittere leto
Pro populo: hic transversum, ac nudo corpore, oportet
Calcari pedibus, pondusque audire meantum.
Dat poenas simul Anna pares, atque illius omnes
Concilii, quod Judaeis mala plurima duxit.
Obstupuit Vates tam vile asprumque ferentem
Supplicium. Hinc versus fratri: ne ostendere, dixit
Vos gravet, ad dextram numquid sit euntibus ullus
Forte aditus, per quem nos hinc exire queamus,
Quin opus hunc fuerit Lemures arcessere ad usum.
Felsineus contra: plusquam tu rere propinquus
Est scopulus, dixit, valles qui trasigit omnes
Circuitu a magno incipiens, hac scilicet una (15)
Excepta, in qua est abruptus: se tollit ab imo

Paulatim fundo, ac sursum in declive ruina
Ascendit: gressum vos hac inferre potestis.
Ore parum flexo Vates tum substitit: ergo,
Mox ait, haud verum, qui sontes arripit unco,
Nos monuit. Cum vitam agerem, ac me Felsina haberet,
Audivi, tunc inquit frater, Daemona multis
Esse quidem instructum vitiis, super omnia fraudum
Artificem. Paulum vultu turbatus ab ira
Incessit Vates, ac magnis passibus ivit.
Nec minus ipse citum, vestigia cara secutus,
Antetuli gressum, atque oneratos inde reliqui,
XXIV. Prima in parte anni, cum Solis Aquarius aestum
Temperat, et, crescente die, nox contrahit horas;
Cumque, nivi similis, circumtegit arva pruina,
Quae subito liquefacta perit, rerum indigus, exit
Mane domo agricola; ac, cernens albescere campos,
Percutit ipse femur; moestusque in tecta revertens,
Ingemit, et quid agat nescit: mox deinde novatam
Aspiciens mundi faciem, spem laetus amicam
Instaurat, gaudensque greges ad pascua ducit.
Sic ego pertimui, turbata fronte Magistrum
Ut vidi; sed prompta malo medicamina sollers
Ille tulit. Cum ruptum etenim pervenimus arcum,
Se mihi convertit, quali sub monte benignus
Adfuerat vultu; ac, postquam advertitque ruinam
Ac rem perpendit, confestim brachia pandit.
Ac me corripuit. Veluti qui intendit agendo,
Ante putat, quam deinde gerat; sic fragmen in unum
Me tunc ille levans, animum intendebat ad alterum:
Arripe mox illud, dicens, sed prospice primum
Num te sustineat. Non hic vir tendere posset
Plumbea veste gravis; nos quippe, is perlevis, atque
Ipse manu impulsus, vix has perrepere cautes
Quivimus. Ac, nisi in hac margo depressior esset,

Quam sit parte alia, quidnam de Vate fuisset
Nescio; at ego infractus non culmen adissem:
Sed, quoniam denis haec didita vallibus area
In puteum pendet, sic altera surgit, et ora
Altera descendit. Tandem, quo se ultima scindit
Petra, cacumen venimus: atque adeo mihi creber
Cum sursum evasi, quatiebat anhelitus artus,
Progredi ut ulterius nequii, et tellure resedi.
Te non esse decet, dixit tum Ductor, inertem:
Qui sedet in pluma, vel sub lodice recumbit,
Haud famam adquirit; sine qua qui duxerit aevum,
In terris, sic deinde sui vestigia linquit,
Spuma velut lymphis, ac vanus in aere fumus.
Segnes rumpe moras: animo pervince labores,
Omnia qui vincit, nisi se cum corpore frangat;
Longior hinc via jam superest: haud sedibus istis
Est satis eduxisse pedes: si intelligis, inde
Fac tibi proficias. Verbis impulsus ab hisce,
Tunc ego surrexi, indutum me viribus illis,
Quae mihi non aderant, simulans; dixique Magistro:
Perge agesis, invade viam; sum fortis et audax.
Per scopulum, qui valde arctus scrupeusque magisque
Quam prior altus erat, ferimur, qua semita ducit.
Ipse loquens ibam, ne debilis esse viderer:
Quare alta ex fovea vox exit, et impulit aures,
Haud per verba loquens. Quamvis in culmine summo
Arcus ipse forem, per quem altera vallis aditur,
Nescio quid dixit; sed vox est visa furentis.
Lumina deorsum intendens, haud attingere fundum
Ob tenebras poteram; unde: alium te defer in aggerem,
Optime dux, inqui: illinc descendamus in imum;
Quippe hic, ut vocem audio, nec deprendere verba
Evaleo, sic et video, ac nil noscere possum.
Non aliud tibi responsum, tum rettulit ille,

Quam factum, reddam: justis parere silenter
Quippe decet precibus. Pontem descendimus ergo
In caput, octavam quo attingit septima ripam;
Et mihi tum valles patuit. Diversa colubrûm
Hic erat horribilis turba, ac tanta, ut mihi sanguis
Nunc quoque frigescat. Ne se amplius Africa jactet,
Si jaculos parit, anphesibenas, atque chelydros
Centrosque ac fareas; non tot tamen illa creavit
Tamque malas pestes, rubri trans littora ponti
Æthiopumque plagis. Gens capta pavore per illas
Nudaque currebat, quin sit sperare foramen
Aut elitropium. Colubri post terga ligabant
His utrasque manus; caudamque caputque serentes
Per renes, nexo stringebant pectora nodo.
Ecce uni, ad nostram ripam, sese intulit anguis;
Quaque humeris collum inseritur, ferus ore momordit.
Tam cito litterulam nunquam quis scripsit, ut ille
Est simul incensus, flammisque exarsit, abitque
In cinerem, terrae lapsus; mox sponte suapte,
Ut terrae cecidit, rubito collectus in unum
Est cinis, atque hominem rursus formavit eumdem.
Sic moritur phenix, atque inde renascitur idem,
Postquam, ut fama sonat, quingentos egerit annos;
Non is, dum vivit, segetes aut gramina pascit,
At thuris lacrymas et amomum; extremaque odoris
Ex nardi et myrrhae struit incunabula ramis.
Utque vir in terram, vi morbi aut Daemonis ictu
Impulsus, cadit ille quidem, sed quomodo nescit;
Postquam autem erigitur, confestim lumina circum
Vertit; et ingenti, quem pertulit ante, dolore
Territus, ex imo suspiria pectore ducit:
Haud secus, ut sese erexit, corpusque recepit,
Is peccator erat. Proh quem divina severis
Justitia hos poenis torquet! Dux inde rogavit

Quis foret. Etruscis nuper sum, dixit, ab oris
Lapsus in ham foveam: placuit mihi more ferarum,
Ut mulo (nam talis eram) non ducere vitam
More hominum: nomen mihi Vannus Fuccius haeret
Bestia: condignas dedit urbs Pistoria cunas.
Tunc dixi ipse Duci: ne nos jam deserat, ora,
Sed referat, quali luat hic pro crimine poenas;
Quippe hunc jam novi scelerumque ac caedis amantem.
Audiit is vocem; fassusque audisse, loquenti
Vultumque atque animum mihi vertit, et ora pudore
Inspersit tristi; mox inquit: saevius angor
Nunc mihi cor torquet, quod me deprenderis istis
In miseris rebus, quam cum sum caede peremptus.
Abdere, quod poscis, nequeo; tam mersus in imo
Hic plector, quod sum patrii sacraria templi
Dispoliare ausus; falsoque hinc criminis auctor
Creditus est alter. Sed ne tibi gaudia visus
Iste ferat, si tartareis te ex sedibus effers,
Haec scito, monitusque meos sub pectore serva.
Disjectos primum cernet Pistoria Nigros,
Gentes atque modos Florentia deinde novabit;
Mars trahit obscurum Macrae de valle vaporem, (16)
Turbinibus foetum; qni tempestate sonanti
Picenum in campum ruet, ac pugna aspera surget,
Quae subito solvet nebulam, et sua vulnera cuncti
Accipient Albi. Ut doleas tibi talia dixi.
XXV. Sic fatus, digitis inserto pollice, utrasque
Extulit ille manus; atque haec, Deus, accipe, dixit,
Quae tibi devoveo. Ex illo mihi tempore amicos
Serpentes habui; quippe unus protinus illi
Fortiter evinxit collum, quasi dicere visus:
Te fari ulterius nolo. Alter brachia cinxit,
Atque ita se ante intorsit, ut illa movere nequiret,
Cur non in cinerem statuis, Pistoria, verti,

Ne sis ulterius, quando tua facta parentum
Nequitiam exsuperant? Sic audax atque superba,
Nulla Deum contra infernos mihi visa per orbes
Umbra fuit; nec qui Thebes est prorutus arce.
Ille hinc effugit, verbum quin adderet ullum.
Tunc ego Centaurum vidi adventare furentem:
Oh ubinam, clamantem, ubinam nequissimus ille?
Non tot sunt angues Thusci prope marmoris oram,
Quot tergo illi haerebant, humanam usque figuram:
Inque humeris draco, protensis post occiput alis,
Horridus instabat, quicumque sit obvius, urens.
Hic Cacus, mihi Ductor ait, qui saepe recessu
Montis Aventini maculavit sanguine terram:
Fratribus abjunctus graditur, quod fraude doloque
Praeteriens pecus arripuit; quare improba facta
Illius attigerunt finem sub vindice clava
Anphytrioniadae; qui centum fortiter istus
Impegit monstro, quin denos senserit ille.
Talia dum Doctor fatur, Centaurus abivit;
Ac triplices, nobis non advertentibus, Umbrae (17)
Sub nos adstiterunt: qui estis? qua ex gente? rogarunt.
Sermone abrupto, nos his convertimus ora.
Hos ego non novi; sed enim, velut accidit, unus
Edidit alterius nomen: qua parte Cianfa (18)
Substitit? inclamans. Tunc ipse, ut mente Magister
Adforet intenta, digitum prope labra locavi.
Haud equidem mirer, lector, si forte moreris
Credere, quae sum dicturus, cum scilicet ipse,
Ipse quidem, qui sum intuitus, vix talia credo.
His oculos defixus eram, cum protinus unum
Bis ternis pedibus serpens invasit, et arcte
Illi haesit. Posuit medias ad viscera plantas,
Brachia devinxit primis, ambasque petivit
Morsibus inde genas; posticas denique fixit

In femora; et caudam, insinuans hoc inter utrumque,
Sursum per renes retrahens, post terga tetendit.
Nunquam sese hederae sic implicuere tenaces
Arboreis truncis, aliena ut membra suismet
Is ferus implicuit: mollis quasi cera fuissent,
Deinde coiverunt, commiscueruntque colorem
Usque adeo, ut quae jam fuerant, non amplius essent.
Ut, cum subposito succenditur igne, papyrus
Subrufum induitur, leviter combusta, colorem,
Quae nondum candore caret, nondumque nigrescit.
Spectabant alii duo: proh! te quomodo mutas,
Angele! clamabant: non es jam forma duorum,
Forma nec unius. Caput ut coucreverat unum
Ex geminis, una in facie mihi visa figura
Est duplex, ubi erant ambo. Duo brachia fiunt
Tractibns ex quatuor (19): venter, pectusque, pedesque
Et crura, effigiem accipiunt, nullum ante per aevum
Inspectam: omnis erat deleta hic pristina forma:
Atque duo et nemo tristis parebat imago:
Talis per campum vestigia lenta movebat.
Ut solet ardenti viridis sub sole lucertus
In sepem ex alia transcurrere, fulguris instar,
Sic, niger ut piper, adversus veniebat utrosque
Deinde alios serpens; et, qua nutrimen in alvo
Foetus primum haurit, partem uni dente momordit
Letifero, coramque viro est tellure relapsus.
Inspicit hunc fixus, nullam dans ore loquelam;
Oscitat insistens pedibus, ceu frigida febris
Occupet, aut somnus. Serpens atque ille vicissim
Spectabant sese; alterque ex vulnere, et alter
Fumum ore efflabant, ac fumus utrinque coibat.
Nassidii cladem miseri, miserique Sabelli
Lucanus sileat; dictisque his applicet aures.
Obticeat Cadmi casum, casumque Aretusae

Ovidius: si hanc in fontem, hunc mutavit in anguem.
Non equidem invideo: duplex natura, sub ipsum
Ambarum aspectum, nunquam mutatur ab illo
Sic ut materiam mutaverit utraque forma.
Hi sibi mox ita respondere, ut diffidit anguis
In geminas caudam, ac duo vir vestigia junxit:
Sic crura et femora haeserunt, ut nulla pateret
Junctura; atque sibi sumebat cauda figuram
Quam viri omittebant plantae: se dura colubri
Mollivit cutis, atque viri est facta aspera tactu.
Ipse per axillas traduci brachia vidi
Interius, colubrumque pedes protendere, quantum
Sese ea contraherent. Posticae denique plantae,
Insimul intortae, membrum genitale crearunt,
Ac miser ille suum partes divisit in ambas:
Dumque novum fumus dat sumere utrique colorem,
Atque, pilos huic inducens, his exuit illum,
Alter procubuit terrae, sese extulit alter,
Impia non autem detorquens lumina, quorum
Sub diro intuitu mutabat quisque figuram.
Qui tunc rectus erat, rictum intra tempora traxit,
Atque ob materiam nimiam quae venerat intro:
Prodivere genis utrinque ex laevibus aures;
Quod non introrsum subit exteriusque remansit,
Inde labra ac nares, quantum, tumuere, decebat:
Quique jacebat humi, rictum protendit, et aures
Contraxit, quo more solet sua cornua limax.
Diffidit hic linguam, conjuuxit et ille bisulcam;
Ac simul evolvi fumus cessavit utrinque.
Qui fera factus erat, per vallem sibila mittens
Continuo aufugit: fugientem pone secutus
Non minus est alter, sputos ac verba profundens.
Deinde novum obvertit tergum, dixitque recedens:
Nunc volo per vallem currat reptetque Buosus,

Ac, velut ipse, solum sinuoso corpore verrat.
Sic mutare ac transmutare est septima vallis (20)
Visa mihi. Novitas me excuset, siquid aberrent
Carmina, nec liquido fluxit modulamine cantus.
Quamvis attonitos oculos, visuque subactam
Gessissem mentem, non tam hi fugere latentes,
Ne mihi compertus Sciancatus Puccius esset,
Qui, tribus ex sociis primum venientibus, unus
Haud mutatus erat: dedit alter flere Gavillam. (21)
XXVI. Concipe laetitiam; magna es, Florentia, valde:
Per mare, per terram, atque Erebum tua fama vagatur:
Quinque tui cives mihi sunt in vallibus Orci
Inter latrones visi: quare ipse pudore
Inspergor, nec tu multo insigniris honore.
At, si mane novo portendunt somnia verum,
Non longum hinc aberit, cum te mox talia tangent,
Quae tibi, item Pratum, velut et gens quaelibet optat;
Ac, si nunc essent, non immatura putarem.
Oh, quando illa dies ventura est, protinus adsit;
Namque magis tristor, quo segnior illa moratur.
Digredimur: per quas descenderat, inde Magister
Ascendit cautes; et me secum ipse retraxit;
Sic quidem, ut absque manu nil pes procedere posset.
Oh quantum dolui, ac memori nunc mente revolvens
Indoleo, quae tunc tormenta asperrima vidi!
Atque animum, plusquam soleo, compescere nitor,
Virtutis ne forte viam transcurrat aberrans,
Neve bonum, quod stella dedit vel Numen amicum,
Ipse mihi invideam. Velut, alto in colle recumbens,
Cum minus os nobis celat, qui illuminat orbem,
Tempore quo proditque culex et musca recedit,
Per latos, quos forte arat ac vindemiat, agros,
Aspicit ardentes lampyridas ire colonus;
Tot flammis late valles octava micabat,

Prout vidi, simul ac potui discernere fundum.
Ut vates, qui se est ultus sylvestribus ursis,
Thesbitae currum aspexit, cum sursus ad auras
Cornipedes salicre leves; oculisque secutus,
Non aliud poterat, nisi tantum cernere flammam
Surgentem, ut nubes attollitur incita vento:
Talis per foveam quaevis se flamma movehat,
Nullaque monstrabat sontes, quos quaeque recondit.
Has ego sic summo spactabam ex culmine pontis,
Ut nisi me cautes confestim arrepta teneret,
In foveam praeceps, nullo impellente, ruissem.
Dux, ita me fixum cernens: est spiritus, inquit,
Omnis in igne suo: sese, quo incenditur, abdit.
Majorem tua, respondi, mihi verba, Magister,
Induxere fidem; verum id jam mente putavi;
Ac petere optabam, quisnam se abscondit in igne,
Ex quo flamma biceps sursum consurgit ad uuras
Ædipodoniadum qualem rogus edididt olim?
Sunt hic Tydides, respondit, et acer Ulysses,
Vindictae atque irae pariter proclivis uterque.
Hac et equi fraus, Romulidum qui janua genti
Jam fuit; hac et Palladium sub vindice flamma,
Ex arce ablatum, luitur, viduoque relicta
Deidamia toro, abductum quae flevit Achillem.
Si licet in mediis hos farier ignibus, inqui
Tunc ego Ductori, te valde obtestor et oro,
Hic ducam patiare moram, dum flamma bicornis
Hic sese ferat: ipse vides, quod versus eamdem
Elquii me inclinat amor. Tunc ille vicissim:
Non inhonesta rogas, retulit, nec proinde negabo:
Al tu fac sileas; sine me tantummodo fari:
Quae vis, cuncta scio: non his tua forsitan orsa
Grata forent; Grajorum etenim de gente fuerunt.
Dixit; et, ut nobis tulit hinc se flamma propinquam,

Ac visum est illi tempusque locusque loquendi:
O vos, quos unus, dixit, duo continet ignis,
Si quid de vobis merui multumue parumue
Carmina cum scripsi totum vulgata per orbem,
Sistite; neve unus vestrum narrare vecuset,
Quomodo, in aeternum periens, est morte peremptus.
Major tum flammae cuspis, velut incita vento,
Edere et incepit murmur, seseque movere;
Mox huc atque illuc, linguae de more loquentis,
Concutiens apicem, vocem prorupit, et inquit:
Postquam deserui Circem, quae longius anno
Me prope Cajetam tenuit, cui nomina nondum
Fecerat Aeneas, cari non cura parentis,
Non nati pietas, nec conjugis ardor amatae,
Quae tot post annos tandem exhilaranda fuisset,
Detinuit, cupidum mundi me ferre per oras,
Unde hominum vitia ac virtutes noscere possem.
Paucis cum sociis, qui me sunt corde secuti
Impavido, atque una cum nave ingressus in altum,
Europae Libyesque latus, (Marochium ad urbem
Usque atque Hispanas terras), Sardoaque vidi
Littora, et hoc quaeque abluitur circum insula ponto.
Fessi aevoque graves, fauces devenimus arctas
Oceani, quibus Alcides jam signa locavit,
Tendere ne ulterius quisquam ex mortalibus ausit.
Hispalin ad dextram liqui, atque recesserat ante
Ad laevam Septa. O socii, qui, mille periclis
Fortiter elapsi, occiduas venistis ad oras,
Dixi, ne breviter sensus dum luce fruuntur,
Vos pigeat Solemque sequi atque invisere terras,
Gentibus expertes: semen cognoscite vestrum:
Non vitam ignavam, brutorum more, creati
Ducere vos estis, sed res ediscere multas,
Virtutemque sequi. Paucis his vocibus arsit

Sic animus sociis, ut mox retinere nequissem.
Haud mora: ad Eoas puppim convertimus oras,
Atque iter ingredimur stulti, laevam usque petentes.
Cuncta poli alterius jam sidera nocte videbam;
Atque ita demissus, nil ut distaret ab undis,
Noster erat. Iam quinque vices se lumine Luna
Induerat, totque exuerat, postquam aequor in istud
Impuleram navim, cum mons nigrescere longe
Ob spatium est visus, quo non sublimior alter.
Laetitia exiluere animi: sed gaudia luctus
Confestim excepit: quippc ex tellure retecta
Surrexit nimbus, vasto qui turbine navis
Perculit anterius latus, ac ter gurgite torsit:
Erexit quarto puppim, proramque subegit;
Utque alii placuit, nos supra clauditur aequor,

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER IV.

XXVII. Vertice jam recto, nec plus dictura, quiebat
Flamma; viamque sequens, venia cum Vatis, abibat:
Altera cum subiens, oculos sibi vertere fecit
Confusum ob quemdam sonitum, qui exibat ab illa.
Bos veluti Siculus, qui primum, id jure merentis,
Mugiit artificis questu, sic aegra ciebat
Inclusi lamenta viri, ut, quamquam aereus esset,
Ipse videbatur diros sentire dolores:
Haud aliter flammae, ex apice atque foramine nulla
His via cum foret, in murmur se tristia verba
Vertebant, quod more suo dat stridulus ignis.
Ast ubi per culmen vox callem iuvenit, et illi
Impressit motus, dederat quos lingua loquentis,
O qui nuper es Jusubro sermone locutus,
Vade age nunc, ajens, non te ultra dicere quaero
Incepit, serus quamvis huc forsitan adsum,
Ne te taedeat hic paulum consistere mecum,
Ac fari: non me, ut tu cernis, taedet, et ardeo.
Si mundum in caecum Latiis ex dulcibus oris,
Unde meum scelus omne fero, es novus incola lapsus,

Dic, rogo, an Æmiliae sit pax bellumne per urbes.
Inter enim Urbinum atque jugum, ex quo Tibridis undae
Defluere incipiant, ego sum jam montibus ortus.
Ipse aderam, fixisque oculis ac vertice prono
In foveam ex ponte aspiciens, cum protinus inquit
Dux mihi, contingens latus: huic responsa roganti
Nunc tu redde loquens; quippe est de gente Latina.
Tunc ego, qui fueram jam respondere paratus:
O Anima, incepi, ardenti quae absconderis igne,
Æmilia haud unquam bello, quod corde tyranni
Intus alunt, caruit, nec nunc caret, at manifestum
Nullibi nunc saevit. Stat nunc, velut ante, Ravenna:
Polentae tovet hanc aquila; et te, Cervia, pennis
Nixa tegit. Tellus, quae Gallica reppulit arma (1)
Ac caede implevit campos, subjecta leoni
Est viridi. Canis ex Verrucchio uterque, vetusque (2),
Atque novus, qui tam leto crudeliter olim
Montagnam dederunt, ubi jam suevere, terebrant.
Urbes, quas Lamon atque alluit amne Saternus,
Caerulus infrenat campo leo parvus in albo. (3)
Saepius assuetus diversas sumere partes.
Cui Sapis lavat unda latus, montem utpote et inter (4)
Planitiem posita, est sic nunc subjecta tyrannis,
Libera nunc regnat. Qui sis nunc exere quaeso;
Neve magis quam alius fuit, intractabilis esto,
Sic tibi sit terris, vincens oblivia, nomen.
Murmur more suo postquam paulum edidit ignis,
Has flavit, moto huc atque illuc vertice, voces:
Si responsa viro, terras qui deinde rediret,
Reddere nunc rerer, flamma haec immota sileret:
At, quoniam nemo tenebris evasit ab hisce,
Si verum audivi, non hinc me infamia terret.
Armiger ipse fui; divi me fratribus inde
Francisci addixi; crasso sic cannabe vinctum

Praeteritae delere putans me crimina vitae.
Ac certe rata spes fuerat, nisi maximus ille
Presbyterûm (quem dira premant) me involvere rursus
Impulerit culpis: nunc quare et quomodo disce.
Dum spirare dedi, mihi quos induxerat artus
Mater, me vulpis gessi non more leonis;
Atque astus fraudesque omnes artesque doloras
Sic didici, ut late exierit mea fama per orbem.
Cum vitae ad tempus veni, quo quisque rudentes
Colligere, ac malo deberet ducere vela,
Quod placuit, mihi displicuit; sacroque Ministro,
Corde dolens, lacrymisque madens, sum crimina fassus.
Heu miser! hoc me juvisset; verum ille recentum
Rex Phariseorum, Lateranum propter, iniquum
Cum bellum gereret, non contra ex gente creatos
Thracum aut Isacidum, sed Christum ex gente colentum,
Quorum nemo Arabum mercator adiverat oras,
Nec Ptolemaiden sumptis devicerat armis;
Non summo officio, sacro nec ab ordine, in ipso
Est se detentus; non, in me, cingulo ab illo,
Reddere quod cinctos macriores ante solebat.
Ut Constantinus Soracte in monte petivit
Sylvestrum, ut lepram ablueret, sic iste magistrum
Me sibi delegit febrim sanare superbam.
Hic me consuluit: silui, nec sum orsa referre
Ausus; visus enim tanquam ebrius edere verba.
At mihi mox dixit: cunctos depelle timores;
Jam nunc te absolvo: tu quò Praeneste potiri
Evaleam doceas: reserare et claudere celum,
Ut scis, ipse queo: sunt binae ad talia claves,
Quas meus haud voluit sibimet decessor habere.
Vocibus his actus, pejus ratus ipse silere:
Quod mox admittam, quando me crimine solvis,
Te, dixi, praestare parum, et promittere multum

Victorem reddent. Postquam me vita reliquit,
Ferre mihi Franciscus opem est conatus; at unus
Atrorum Cherubim; noli me laedere, dixit,
Nec tecum hunc ducas: veniendum est Tartara, et inter
Afflictas Animas: subeunda huic quippe dolosi
Poena est consilii, post quod crini illius haesi:
Quem non poenituit, nequaquam absolvere par est;
Poenituisse ac velle, sibi adversantur et obstant.
Hei mihi! quam dolui, cum me deprendit aduncis
Unguibus, increpitans: non me tu forte putabas
Tam Logicen doctum. Ad Minoem duxit; et ille,
Bis quater ut cauda se incinxit, eamque momordit
Magna ira: involventem, ait, hic descendat ad ignem.
Propterea, velut ipse vides, me excepit Avernus;
Atque ita vestitus gradiens, angore peruror.
Haec ubi sic dixit, torquens agitansque cacumen,
Flamma dolens abiit. Nos, Ductor et ipse, per altum
Tendimus ulterius scopulum, dum venimus arcum,
Altera quo tegitur valles, ubi poena fatigat
Qui sibi dissidiis onus imposuere serendis.
XXVIII. Quis potis est verbis, etiam sermone soluto,
Quamquam dicta iteret, plagas fari atque cruorem,
Est mihi qui visus? Certe facundia nulla
Hoc hominis posset, propter mentem atque loquelam,
Tendere quae tantum nequeunt. Si tota coiret
Gens quoque, quae Daunos implevit sanguine campos
Ense Phrygum, ac longo hinc bello, quo plurimus olim,
Livius ut narrat verax, spolia inclyta fecit
Annulus; atque simul, quam leto deinde Rubertus
Neustrius immisit (5); cujusque inhumata Ceprani
Hactenus ossa patent, defecit ubi Appulus omnis; (6)
Et Taleacoti trans arcem, ubi, viribus usus
Armorum nullis, vicit longaevus Alardus, (7)
Tot tantaeque acies transfixaque truncaque membra

Si simul ostendant, non horrida vulnera nonae
Æquarent foveae. Medio aut alio assere rupto,
Non sic dolium hiat, velut unum a pectore summo
Usque huc dissectum vidi, quo desinit alvus:
Inter crura viro pendebant exta; patebant
Et jecur et saccus, quo in stercus vertitur esca.
Dum fixis haererem oculis, lacerumque tuerer,
Is me suspexit, pectusque reclusit, et inquit:
Aspice ut abscindor: Maomettum conspice truncum.
Procedit, lacrymas fundens, et me anteit Alì, (8)
A mento ad cirrum sectus. Qui schismata, quique
Dissidia in terris olim seruere, tenentur
Hic omnes, omnesque modis scinduntur iisdem.
Daemon adest retro, qui nos crudeliter ense
Dissecat; huc iterum revocans, iterumque recidens,
Cum gyrum explemus: sanantur vulnera quippe
Ante, sub illius quam nos ferat ora recursus.
Tu vero quis es, in summo qui vertice pontis
Segnis ades, forsan poenas ut adire moreris,
Quae tibi confesso sunt propter crimina fixae.
Non hunc, Praeceptor retulit, mors hactenus aura
Privavit vitae, poena nec vindice crimen
Plectendum huc trudit; sed, res ut discat ab usu,
Æthere me cassum per cunctos Ditis oportet
Esse ducem gyros: certumque hoc crede, velut me
Certum est ista loqui. His verbis, plurima turba
Constitit in fovea; atque mihi, poenae immemor, haesit
Fixa oculos: O fors superas rediture sub auras,
Dic age Dulcino fratri (9), nisi sistere mecum
Hic propere ille velit, curet se providus ampla
Instruere annona; ne, si commercia tollat
Nix infusa jugis, victoria laeta Novarae
Sit cedenda duci, quae aliter non prona futura est.
Haec mihi verba, pedem postquam Maomettus, ut iret

Suspendit, dixit; quae vix est fatus, eumdem
Pressit humi, atque abiit. De turba saucius alter,
Qui visum attonitus steterat, tum prosilit: una
Aure carens, sectum jugulum, naresque gerebat
Usque supercilium abscissas. Se protulit ille
Ante alios, omnique foris quod parte rubebat,
Effudit tales patefacto ex gutture voces.
O qui tartareas adis inculpabilis umbras,
Quem, nimium simili nisi fallor imagine, vidi
In latiis terris, planum si dulce revisas,
Quod de Vercellis declive ad Marcabojum
Tendit, de Medicina ne oblivisccre Petri: (10)
Alloquere ipse duos Fani ex melioribus urbis;
Guidus et Angelulus discant (praescire futurum (11)
Hic nisi sit vanum) quod saxo utrique revincti,
Ex cymba, prope Crustumium, impî fraude tyranni
Projicientur aquis. Cyprí Neptunus ab oris
Ad Balcare solum, piratas atque carinas
Argolicas nunquam tantum scelus edere vidit.
Proditor ille ferox, uno qui lumine captus, (12)
Telluris potitur, quam, qui mihi proximus adstat,
Nunquam vidisse optaret, mentitus amicum
Ducet ad alloquium, atque dabit non inde precandum
Esse his, cum flarit ventus de monte Focara. (13)
Tunc ego: si in terras de te vis nuntia ferri,
Illius nomen, qui nollet Ariminon unquam
Vidisse, ostendas. Dextram tunc ille tetendit,
Cujusdam ad socii vultum, atque illi ora reclusit:
Hic est. inclamans, sed muta silentia servat:
Caesaris hic dubiam mentem, depulsus ab urbe,
Impulit in bellum, semper mala multa paratis
Ferre moras memorans. Proh! quam dejectus et excors
Est mihi tunc visus, dissecta in gutture lingua,
Curio, qui tantum fuerat sermonibus audax!

Exin alter, erat manibus qui truncus utrisque,
Aera per tetrum mutilas sic extulit ulnas,
Ut cruor inficeret vultum; ac reminiscere, dixit,
Praeterea Moschae, qui infectum reddere factum (14)
Nemo potest, heu inqui; Tuscae mala semina gentis
Quod fuit. Atque tui, adjeci, mors sanguinis unà.
Is, luctum accumulans luctu, tum tristis, et instar
Mente carentis, abît. Pontem super ipse moratus,
Rem inde aspexi, quam sine teste referre timerem,
Ni me fidentem faceret, mens conscia veri,
Quae, plusquam lorica, virum, comes optima, munit.
Vidi egomet certe, ac videor nunc cernere, quemdam
Cum reliquis sociis incedere, vertice truncum.
Crinibus apprensum, pendentis lampadis instar,
Gestabat caput ille manu, atque hoc lumina nobis
Tendebat fixa, eheu eheu flebile clamans.
Fax erat ipse sibi, geminusque ac unicus idem.
Quomòdo id esse potest, is scit, qui talia condit.
Ut venit, rectusque ad pontis constitit imum,
Cum capite erexit dextram, ut propiora loquentis
Nobis verba forent; tum sic est talibus orsus:
O qui, vivus adhuc, vita circumspicis orbos,
Aspice num sit poena mea crudelior usquam:
Utque mei referas in terris nuntia, scito
Beltramum me esse a Bornio, qui prava Joanni (15)
Jam regi monimenta dedi. Natum ipse rebellem
In patrem feci: nec sic Achitophel olim
Absalon in David stimulis vehementibus egit.
Quandoquidem sum partitus tam sanguine junctos,
Principio abscissum, quod in isto corpore sistit,
Ipse caput fero: respondent sic crimina poenis.

XXIX. Tam gentes multae, diversaque vulnera, fletu
Tam mihi complerant oculos, ut flere manentes
Ulterius cuperent. Sed: quidnam conspicis? inquit

Tum mihi Virgilius: cur deorsum lumina figis
In mutilam gentem? non hoc te more gerebas
In reliquis foveis: si sit numerare voluntas,
Bis dena atque duo se volvit millia valles.
Nobis Luna subest; nec multum temporis ergo
Jam datur; et, quae non reris, sunt multa videnda.
Si cur inspicerem, respondi, adverteris, ultra
Sistere me paulum sineres. Dum talia farer,
Ille ibat; quem pone sequens, sum deinde locutus:
Carcere in hoc rebar, junctum mihi sanguine, quemdam
Flere scelus, quod tam hic luitur. De pectore curam,
Rettulit, hanc abigas; animumque ad caetera verte.
Quo manet, is maneat: vidi hunc nam pontis ad imum
Tendentemque tibi digitum, graviterque minantem,
Ac Gerum audivi Del-Bello nomine dici:
Sic te intentum animo truncus Beltramus habebat,
Ut non illuc aspiceres; quare ille recessit.
Dux bone, quod nemo ex îs, quos injuria tangit,
Illius interitum, retuli, fuit hactenus ultus,
Is dolet; atque ideo, ut reor, haud me affatus, abivit:
Sed magis hoc propter pietate obstringor in illum.
Sic fantes alterna, locus nos primus, eundo,
Post paulum excepit, quo, si plus luminis esset,
Altera de scopulo valles spectatur ad imum.
Cum foveam extremam attigimus, detentaque ibidem
Improba gens oculis patuit, tam flebilis alte
Telaque tam cordi infigens pietatis acuta,
Increpuit sonus, ut clausi mihi protinus aures.
Si, quos curandis loca publica dedita morbis,
Quos habet et Claniae aestivo sub tempore valles,
Quos et Sardinia, et Thusci maris ora, dolorum
Congeries fovea simul includatur in una,
Illic talis erat; talisque exibat in auras
Teter odor, qualis membris marcentibus exit.

Nos scopuli in longi extremam descendimus oram
Ad laevam: clareque magis tum cernere fundum
Evalui, quo falsificos dat nescia falli
Justitia affligi poenis. Haud tristius olim,
Arbitror, Aegine' populum fuit undique morbo
Cernere correptum, cum sic vitio aeris omne
Enectum est animal (narrant quod carmine Vates)
Ut de formicis fuerit gens deinde refecta;
Quam foret obscuram per vallem hic cernere sontes
Languere in cumulis variis. Super ille jacebat
Alterius dorso; super alter ventre supino;
Alter per terram reptabat corpore prono.
Passibus ingredimur lentis, ac ore silentes,
Aures atque oculos intenti gentibus aegris,
Quae malefirma solo sustollere membra nequibant.
Vidi autem tellure duos, sibi mutua nixos,
A capite ad talos scabie considere tectos,
Ut testam testae mos est apponere junctam,
Ut caleant, igni. Nequaquam servulus unquam,
Quem dominus maneat, vel qui vigilare recuset,
Tam celer exagitat strigilem, quantum unguibus artus
Hi sibi scalpebant, rabida prurigine adacti,
Quae nullum solamen habet nullamque medelam.
Haud aliter scabiem radebant unguibus uncis,
Mugilis ac squamam corio, vel piscis alius
Cui sit lata magis, culter divellit ahenus.
O qui te laceras, digitisque ut forcipe saepe
Uteris, (aeternum tibi sic talem unguis ad usum
Sufficiat), Vates inquit tum versus ad unum:
Fare age, in his quisquam num sit de gente Latina.
Quos male mulctatos sic cernis, uterque Latinus,
Flens unus retulit, sumus: at, tu, talia quaerens,
Quisnam es? Cui Vates contra; sum, reddidit, unus,
Qui simul hoc vivo varios descendo per orbes.

Tartara ut huic pandam, quaeque hic tormenta feruntur.
Vix haec audierunt, se disjunxere trementes;
Ac mihi cum reliquis, quorum vox attigit aures,
Verterunt sese. Mihi tunc Praeceptor adhaerens:
Quod cupis, his petito, dixit. Monitumque secutus,
Haec ego sum fatus: sic vestrum nulla vetustas
Deleat in terris nomen, multosque recursus
Exsuperet Solis, qui estîs, qua et gente creati,
Dicite; neve, quod obscoenum valdeque molestum
Supplicium luitis, deterreat ista prafari.
Me terra Aretina tulit, tum reddidit unus;
Ex Sena Albertus flammis me fecit aduri.
Non huc me vero, pro quo combustus obivi,
Adduxit crimen. Possem, dixi ipse jocose,
Dedaleum in morem vacuas me ferre per auras
Remigio alarum: is fatuus, cupidusque volandi,
Scire modum hunc voluit: quod non ut Dedalus esset
Proinde dedi, a quodam mitti me fecit in ignem,
Qui tanquam ipse suo prognatum sanguine habebat. (16)
Nescius at falli Minos me jecit in istam
Extremam, alchymiae damnatum crimine, vallem.
Quis tam animi vanus, quam Sena ex urbe creati?
Inqui ego Ductori, nec tam gens Gallica certe est.
Alter at inspersus scabie: Striccam excipe, dixit,
Qui modice impensas fecit, rebusque pepercit: (17)
Excipe Niccolaum, morem qui primus opimum
Fragrantis garyophylli jam adduxit in hortum,
Quo bene radices egit: simul excipe coetum (18)
Caccia ubi ex Asciano rus sylvasque profudit,
Judiciique sui Abbajatus pandit acumen.
Ut vero agnoscas, qui tam tua dicta secundat
Senenses contra, mihi sic tua lumina fige,
Ut faciem adversam videas; et me esse Capocchî
Deprendes Umbram, qui (nam me noscere debes)
Falsificas colui, Naturae simius, artes.

XXX. Cum Juno ob Semelen Thebas adversus (ut una
Plus vice monstravit) saevas exársit in iras,
Usque Athamas adeo concepit mente furorem
Conjuge ut inspecta, geminis quae utrosqne gerebat
In brachiis natos: tendamus retia, dixit
Inclamans, ut cum catulis capiam ipse leaenam,
Haec ajens, unum matre ex luctante, Learcum
Nomine, corripuit, saxoque illisit adactum:
Natum alium eripiens, mater se jecit in aequor.
Cumque Phrygum prostravit opes, adeoque potentem,
Ut rex cum regno fuerit deletus, iniqua
Sors gentem oppressit, Priami moestissima conjux,
Postquam est crudeli consumpta Polyxena leto,
Exanimemque suum Polydorum in littore vidit,
In rabidam conversa canem dedit ore latratus:
Tam miserae immanis mentem detorserat angor!
At nunquam Trojae ac Thebes animalia dirae
Aut homines Furiae sunt sic invadere visae,
Ut geminas Umbras, nudas, morsuque petentes,
More suis, cum prodit hara, tum currere vidi:
Quarum una impetiit rabido sic dente Capocchium
Ad colli nodum, ut duram corradere terram
Ventre dedit. Mihi tunc, qui manserat atque tremebat,
Aretinus ait: Schicchi hae est Umbra Joannis
Irrequieta, furens alias quae percutit Umbras.
Sic tibi, ego dixi, dentes non ingerat alter,
Qui sit, quam prius abscedat, ne dicere noli:
Myrrhae est Umbra vetus, retulit, quae patris amore
Fas ultra exarsit: falsam, ut cum patre coiret,
Induit haec formam; falsam velut induit ille,
Hinc procul incedens, ut equam sibi posset habere
Eximiam, simulans Donatum fraude Bonosum,
Ac testamentum mentito nomine condens.
Haec dixit. Postquam duo praeteriere furentes,

Ad quos intentus fueram, tum lumina verti,
Sontes visurus reliquos. Testudinis instar
Edentis sonitum, cujusdam occurrit imago,
Ilia si subter, partes quod corpus in ambas
Dividit, eripias. Illum teterrimus hydrops
Qui tantum male conversis humoribus artus
Reddit inaequates, ut non respondeat alvo
Exilis vultus, labiis reddebat hiantem,
Vir tanquam sitiens, febris quem tabida torquet,
Deprimit inferius labium attollitque supernum.
O vos, qui poenae expertes (ac nescio causam)
Infera luctratis regna, huc attendite, dixit
Is nobis; cladem Adami spectate magistri.
Dum vitam exigerem, quae vellem, copia rerum
Multa fuit: nunc gutta ardenti deficit ori.
Collibus ex Clusinis qui volvuntur in Arnum,
Frigiduli ac molles adsunt mihi jugiter amnes:
Nec frustra; nam me illorum magis urit imago,
Quam morbus, qui me macerat. Trahit aspera poenae
Iustitia hinc causam, quo jam commissa peregi;
Ac me crebra magis suspiria mittere cogit:
Est ibi namque locus, quo falsa numismata cudi
Baptistae effigie, multo purgamine mixta:
Quapropter combusta igni mea membra reliqui.
At, si et Alexandri Guidique et fratris eorum (19)
Aspicerem hic trtstes Animas, mihi gratius esset,
Quam Brandae sedare sitim frigentibus undis.
Jam, nisi falsa ferunt Umbrae, quae saepe furentes
Circumeunt, una ad poenam huc est lapsa luendam.
At mihi quid prodest, cum s'nt mea membra revincta?
Si levis ipse forem, ut digitum procedere possem
Centum annis, iter arriperem, ut nanciscerer illam,
Undena haee quamvis se circum millia valles
Protendat, nec dimidio plus lata patescat.

Has inter gentes nunc, his auctoribus, adsum:
Hi mihi suaserunt aureos excudere nummos,
Queis multum purgamen erat. Sic dixit; et olli
Sic ego respondi: qui sint, da noscere, quaeso,
I duo, qui ad dextram, junctique unaque sedentes,
Dant, velut uda manus brumali tempore, fumum.
Huc ego cum veni, is retulit, sum nactus utrumque,
Ac nunquam abstiterunt; nec totum deinde per aevum,
Arbitror, absistent. Una est Ægyptia, conjux
Putiphari, falso quae incessit crimine Joseph:
Altera et ille Sinon, ex Troja, proditor Ilî:
Tantum his nidorem febris dat mittere acuta.
Non tulit is, reor, obscuro sic nomine dici;
Compressaque manu tumidam illi contudit alvum;
Tympani et in morem sonuerunt viscera pulsu.
Perculit huic os Adamus; nec mollior ictus
Est visus; dixitque simul: licet ipse moveri
Membrorum ob pondus nequeam, non munus ad istud
Est segnis mihi dextra tamen Tibi lenta profecto
Brachia erant, cum ires, Graecus respondit, ad ignem,
Impigra sed valde, cum cusa pecunia mendax.
Is contra: tu vera refers; sed tu quoque vera
Non es tum fatus, Priamus cum vera poposcit.
Falsum ego si dixi, a te falsus conditus ipso
Est typus, increpuit Grajus: damnatus ob unum
Hic ego sum facinus, tu quot nec Daemona damnant.
Esto memor, ait alter, equi; esto criminis auctor,
Quod totum late vulgavit fama per orbem.
Te sontem, is regerit, monstrant site lingua dehiscens,
Atque oculis ventrem praetendens marcidus humor.
Ille iterum: de more tuo, tua labra malignis
Laxantur verbis: si me sitis angit et humor,
Te sitis et gravior, nec non cephalalgia torquet:
Si tibi fons adsit, nihil ipse moraberis undis

Confestim immergi, largeque haurire liquorem.
Intentus fixusque oculos jurgantibus illis
Adstabam, cum me increpuit, dixitque Magister:
Talia quid cernis? parum abest, quin me occupet ira;
Quae simul ac fantem audivi, tam protinus ingens
Me pudor invasit, qui nunc quoque mente recurrit.
Utque suum qui vana videt per somnia damnum,
Somnia id esse cupit; quodque est, existere nollet;
Sic ego sum factus, nequiens emittere vocem,
Ut me excusarem; quamvis, quin rerer, id ipsum
Interea efficerem. Tum mollior ille: minore,
Quam tuus, eluitur gravior quoque culpa pudore.
Quare age, tristitias omnes de pectore pelle;
Ac me rere memor tibi semper adesse propinquum,
Cum gentem invenias sic jurgia vana serentem:
Haec etenim velle audire est abjecta voluntas.

XXXI. Sic ea, quae prius increpitans me lingua momordit,
Inspersitque rubore genas, mox ipsa medelam
Praebuit. Æacidae ac nati sic dicitur hasta
Vulnera quod primum ferret, mox deinde salutem.
Deserimus vallem, tendentes aggere gressum,
Qui circum hanc ambit, nulla cum voce meantes.
Nec tenebrae hic noctis, nec erat lux clara diei;
Propterea que parum poterat se tendere visus.
Tunc ingens cornu, tonitru quod vinceret omne,
Instrepere audivi; atque, viam tunc ipse secutus,
Unde sonus venit, confestim huc lumina verti.
Non equidem, Magnus cum victus Carolus olim
Incoepto cecidit sancto, tam murmure vasto
Orlandus sonuit. Non longum huc lumina fixi,
Multasque excelsas sum visus cernere turres;
Propterea que Ducem, quae terra est ista? rogavi.
Ille mihi contra; quoniam umbras inter opacas
Longius intueris, fit proinde ut mente pererres:

Cum propius venies, quantum longinqua videntum
Decipiant sensum, agnosces; quare ocyus ito.
Mox autem, amplexus dextram: jam disce, priusquam
Ulterius tendamus iter, mihi dixit amanter,
Ne nimis hinc stupeas, non turres esse, sed alta,
Margine qui putei circumstant, mole gigantas,
Pube tenus puteo inclusos. Ut, ab aere densa
Cum nebula effugit, paulatim cernere circum
Res oculi incipiunt, quas jam vapor ante tegebat;
Quo magis obscurum visu sic aera trano,
Ac propius venio, magis et se dissipat error,
Ac metus exoritur. Velut arx in monte rotunda
Non procul a Senis, stat turribus undique septa,
Sic, oram putei circum, se mole gigantes
Attollunt media, queis Juppiter igne minatur
Nunc quoque, cum tonitru resonat. Jamque ora videbam
Cujusdam, atque humeros, pectusque, et brachia costis,
Ac ventris partem. Merito Natura creandis
Abstinuit deinde his monstris, ut proinde ministros
Eriperet Marti. Si non et magna elephantum
Corpora poenituit genuisse, et grandia cete,
Subtili qui mente videt, magis ille benignam
Prudentemque vocet; siquidem, cum prava voluntas
Consiliumque animi, vastis se viribus addit,
Non est qui obniti contra, atque resistere possit.
Olli erat os longum ac latum, velut aerea Romae
Pinea nux, Petri ad templum; paribusque patebant
Caetera membra modis. Quae subtus ripa tegebat
Ad pubem, ex summo monstrabat margine tantum
Corporis, ut tres haud possent titigisse capillos,
Alter in alterius positi cervice, Sicambri:
Quare ego ter denos palmos extare videbam
A ripa, usque locum, chlamydem quo fibula nectit.
Rafel mai amech zabi almi, ore profari

Incepit tunc ille fero, a quo verba cieri
Haud meliora decet. Retulit cui talia Vates:
Stulte, quid increpitas? tibi fas est clangere cornu;
Utere et hoc uno, cum te ira aliudve lacessit:
Ad collum quaere; invenies quae hoc zona revincit;
Invenies ipsum, pectus quo cingeris ingens.
Dehinc mihi conversus: sese ipsum hic arguit, inquit;
Est hic Nembrotus, cujus jam turris, ut unus
Non foret hinc sermo cunctis mortalibus, egit;
At valeat, nec verba leves fundamus in auras.
Cujusque est olli sermo, non secius atque
Illius est aliis; quem non intelligit ullus.
Ad laevam ante imus; jactumque ad missilis arcu,
Horridior multo ac major sese obtulit alter.
Quis faber, haud novi, hunc vinxit; sed vasta catena,
Sub collum incipiens, destrum post terga ligabat
Laevumque ad pectus brachium: de margine ripae
Ad quintum erecto surgebat vertice gyrum.
Iste Jovem contra violens est viribus usus,
Admonuit Vates: Ephialtes nomine fertur:
Ac sibi mercedem recipit pro talibus ausis.
Extitit, immanes qua Dîs aetate gigantes
Incussere metum: quibus olim praelia gessit,
Brachia non unquam potis est nunc vincta movere.
Si mihi fas esset, Briareum cernere vellem,
Tunc ego subjeci, quantoque is corpore constat,
Ipse meis metiri oculis. Ac ille vicissim:
Non procul Antaeum aspicies, qui est nexibus expers,
Ac loquitur; qui nos putei portabit ad imum.
Hinc longe Briareus abest, ferroque revinctus,
Omniaque huic similis, nisi quod magis ore perhorret.
Non hac vi turris, terrae concussa tremore,
Funditus est unquam, qua Ephialtes corpore toto
Tum se commovit. Nunquam formidine mortis

Sic ego sum captus; nec erat nisi posse timere,
Vincula ni aspicerem. Nos, illinc deinde profecti,
Venimus Antaeum; qui, excepto vertice, denas
Ulnas extabat puteo. O, qui mille leones,
Dixit ei Ductor, valle es praedatus in alta,
Qua decus, Annibalis multa cum clade, per aevum
Scipiadae est partum; qui si cum fratribus olim
Horrendae adfueras pugnae, ceu forte videtur,
Terrigenis Dí cessissent; nos hujus ad imum
Fer putei, quo Cocyti concreta rigescit
Unda gelu: ne dedignere hoc munere fungi,
Neve sinas Tityum saevumque rogare Typhea;
Reddere mercedem, quae sedibus hisce cupitur,
Iste potest, terrisque tuas attollere laudes:
Nam fruitur vita, ac multos se posse per annos
Vivere adhuc putat, ante diem nisi Gratia tollat.
Ergo age, te flecte, ac nos ne portare recuses.
Haec meus est fatus Doctor. Vix ista locutum
Continuo, is manibus cepit, queis fortiter olim
Sensit se valde adstringi Tyrinthius heros.
Atque ubi Virgilius vidit se deinde teneri:
Huc ades, inclamans, me protinus addidit ipsi,
Ac se meque simul fascem glomaravit in unum.
Qualis spectanti turris Carisenda videtur (20)
Sub flexu, adversus partem, cui pendula vergit,
Si super it nubes; sic est mihi, lumina in illum
Tendenti atque animum, Anteus se flectere visus;
Ac tali interdum piguit me tramite ferri.
Ille autem fundo, quo Juda ae Lucifer adsunt,
Nos leviter posuit; nec cernuus inde moratus,
Ut navis malus, se protinus ipse levavit.

XXXII. Si mihi rauca atque aspra, foramen qualia poscit,
Rupes cui incumbunt reliquae, essent carmina, coeptum
Plenius assequerer; sed, cum mihi talia desint,

Non ego, quin valde timeam, nunc dicere pergam:
Non opus est adeo pronum vacuumque laboris
Atque aptum linguae, cui nondum adoleverit aetas, (21)
Totius mundi verbis describere fundum.
At mihi Pierides adsint, quae Amphiona quondam
Juvarunt, Thebis testudine saxa trahentem,
Ne mihi sit sermo factis ingentibus impar.
O misera ante omnes, tristi gens edita fato,
Quae baratrum servas, de quo tam dicere durum est,
Quam tibi erat melius pecudes capreasque fuisse!
Cum fundum attigimus, valde sub calce gigantis,
Atque altum intuerer murum, vox perculit aures:
Aspice quo transis; tua ne vestigia ponas
In fratrum capita. Ipse ideo mea lumina verti;
Atque lacum, vitro similem, glacieque coactum,
Undique conspexi. Non sic concrescere in oris
Austriacis Istrum; nec sic algente sub axe
Cogit hiems Tanaim, veluti lacus ille rigebat;
Usque adeo, ut glacies, si vastus pondere toto
Mons super irruerit, minime crepuisset ad oram.
Ac veluti rana, exertans de gurgite rictum,
Gracidat ad ripam, quo tempore rustica retur
Colligere in somnis, quas linquit messor, aristas;
Sic, glacie infixa, ac livens vi frigoris, usque
Quo pudor apparet, Umbrarum turba dolentum
Hic erat; ac tali quatiebat murmure dentes,
Quale solet, colubris inimica, ciconia rostro.
Dejectam in pectus faciem sibi quaeque tenebat;
Eque oculis dolor, atque gelu apparebat ab ore.
Postquam sum circa intuitus, mea lumina flexi;
Atque duo ante pedes vidi, sic membra vicissim
Haerentes, ut mixti essent in fronte capilli.
Dicite, vos, adeo qui pectora juncta tenetis,
Inqui, quinam estis? Flexerunt colla, mihique

Extulerunt vultus; oculisque madentibus humor
In labia est lapsus: lacrymas tum frigus obortas
Inter eos strinxit, glacieque ita clausit acuta,
Ut lignum ligno vectes haud presserit unquam.
Illi, ira accensi, sic conflixere vicissim
Frontibus adversis, gemini quasi cornibus hirci.
Tunc alter, cui ambas frigus demesserat aures,
Dejecto in pectus vultu: quid lumina tantum
In nos figis? ait: hos si cognoscere quaeris,
Sunt Albertiades, quorum stirps clara beatis (22)
Jura dedit campis, quos irrigat unda Bisenti.
Sunt fratres: si lustrabis loca cuncta Cainae, (23)
Non ullum invenies, qui sit tam frigore dignus.
Non ille, Arcturus cui fodit pectus et umbram (24)
Ictu uno; non et Focaccia; (25) non, mihi visum
Qui capite hic prohibet, nomen cui Sassulus haeret: (26)
Si genere es Thuscus, qualis sit noscere debes:
Neve loqui ultra adigas, sum Cammissonius ipse (27)
De Pazzis: nostra Carlinum stirpe creatum (28)
Opperior, mea qui propriis opprobria purget.
Multa hinc prae nimio violacea frigore vidi
Ora adeo, ut memorem semper circumvenit horror.
Dum gressum ad medium ferimus, quo corpora cuncta
Tendere dat gravitas, ac me tremor occupat ingens
Frigore ab aeterno (seu casus sive voluntas
Seu fatum fuerit, nequaquam dicere possem),
Per capita incedens, impegi unius in ora,
Fortiter ipse pedem. Cur me pede proteris? inquit;
Is clamans, lacrymasque edens: nisi forte cruentae
Ultor ades cladis, qua sanguine Montis aperti
Nunc quoque saxa rubent, cur me premis atque molestas?
Tunc ego: fac maneas, dixi, dilecte Magister,
Hic mihi dum dubium solvat: quantum inde jubebis,
Praepropere adveniam. Doctor vestigia pressit;

Atque ego ei dixi, dira hactenus orsa serenti:
O tu, qui objurgas alios, fac scire quis audis.
Tuque quis es? retulit tunc ille, per Antenoream
Qui vadis, temereque caput premis ipse jacentum?
Quod foret immodicum, quamvis huc vivus adesses.
Vivus et huc adsum, dixi; ac te proinde juvare
Voce queam, si te famae tenet ulla cupido,
Nomen deinde tuum referam inter caetera terris.
Falleris, ille inquit: mihi sunt contraria vota:
Hinc cito te remove, atque mihi parce esse molestus;
Non bene blanditias hac seis innectere valle.
Tunc illi crinem arripui, simul inde locutus.
Nomen pande tuum, aut nullum tibi vertice crinem
Esse sinam. Si me cunctis, ait ille, capillis
Abradas; si mille vices mihi tempora pulses;
Nunquam proinde meum coges me pandere nomen.
Jamque ego correptos coepi divellere crines
Dum daret ille, oculis dejectis, ore latratus.
Quos simul audivit, clamavit protinus alter:
Quid te, Bocca, premit? non sat collidere dentes (29)
Est tibi, quod saevis imples latratibus auras?
Quis te Daemon agit? Jam nunc te, proditor, inqui,
Nolo loqui: tuum in opprobrium jam nuntia terris
De te vera feram. Sed tu, respondit, abito:
Quidquid aves, effare quidem; Sed nomen et hujus,
Qui tibi me ostendit, compellans voce procaci,
Ne sileas, si hinc evadas: vidi ipse Dueram (30)
Dicere tunc poteris, quo sontes frigus adurit:
Hic gemit argentum, quod Franca ex gente recepit.
Praeterea, qui sint socii, si forte rogaris,
Hic prope Beccheria riget, Florentia guttur (31)
Cui secuit: reor ulterius Seldanier esse (34)
Cum Gano atque Tribaldello, qui nocte sub alta (33)
Arma Faventinis induxit Gallica muris.

Hinc ubi digressi, duo, quos scrobs una tenebat,
Sic junctos vidi, caput unum ut pileus esset
Alterius capitis, Non secius atque comestur
Panis ob esuriem, sic dentes intulit alter
In caput alterius, cerebro qua se occiput addit.
Non aliter quondam, malesana percitus ira,
Sub Thebas Tydeus Menalippi tempora rosit,
Quam calvam is peteret violens et caetera morsu:
O, qui tantum odium, dixi, sic more ferino,
Adversum ostendis, rabido quem pasceris ore,
Dic agesis, quaeso, quid tantas provocat iras?
Ut, si jure doles, norim cum nomen et hujus
Flagitium, merita in terris mercede rependam,
Ni, qua verba sero, siccis mihi faucibus aret.
XXXIII. Sustulit ille fera rictum peccator ab esca,
Avulsos capiti detergens ore capillos;
Atque ait: infandum, quo totus et ante peruror
Quam fari incipiam, cogis renovare dolorem:
Si tamen hunc contra, quem rodere dentibus insto,
Exoritura meis aliqua est infamia verbis,
Eloquar: et fantem pariter flentemque videbis.
Qui sis, quove modo sedes adveneris istas
Non equidem novi; sed, cum vox personat aures,
Esse reor civem, cui dat Florentia nomen.
Sum comes Ugolinus ego, archiepiscopus hic est (34)
Ruggerius: quae nos jungit, nunc accipe causam.
Hujus consiliis pellacis et arte magistra
Me, sibi fidentem, captumque ac funere mersum
Non opus est dicam: dicam quae prorsus ad aures
Nunquam ivere tuas; quae mors mihi scilicet horrens
Illata: et disces quantum me laeserit iste.
Multa per exiguum tetra sub turre foramen,
(Sub turri, quae digna famis mihi nomine dici est,
Cujus et in tenebris alii claudantur oportet)

Jam mihi converti se ostenderat aethere Luna;
Cum visum in somnis habui, quod clara futuri
Signa mihi dedit. Hortator ductorque catervae
Cum canibus macris, cupidisque, et origine claris.
Iste lupum et catulos ad celsum impellere visus
Est montem, prohibet Pisis qui cernere Luccam.
Prae se Lanfrancos, Sismundos, atque Gualandros
Ire debat. Fessos catulosque lupumque videbam
Protinus, atque canes illis infigere dentes
Immanes, morsuque latus lacerare cruentum.
Cum me deinde sopor, venienti mane, reliquit,
Flere meos, quos mecum idem tum carcer habebat,
Audivi in somnis natos, et poscere panem.
Efferus es, durusque nimis, nisi corde dolorem
Praecipias, reputans mihi quod portenderet illud.
Ni defles, quid flere soles? Jam lumina cunctis
Liquerat his somnus: jam qua tradi esca solebat,
Hora propinquabat; sed quisque ob somnia, numquid
Nunc tradenda foret, dubium sub corde gerebat.
Atque ego tum clavis suffigi in limine portam
Audivi horribilis turris: commotus, in ora
His oculos fixi, quin luctum aut verba cierem:
Usque adeo interius rigui! Illi fundere fletum;
Ac meus, obversus mihi, tunc Anselmulus: ecquid,
O pater, inquit, habes? quianam sic lumina figis?
Nil ego respondi aut flevi; totamque silenter
Hanc duxi, quam longa, diem, noctemque sequentem.
Mane orto, cum subtenuans lux carceris umbras,
Vultibus in quatuor, dedit ipsos cernere vultus
Posse meos, utramque manum ferus ore momordi.
Atque illi, nimiaque fame atque cupidine edendi
Impulsum, fecisse rati, se protinus omnes
Extulerunt: levius, dixere, dolebimus, ipsis
Si nobis vescere, pater: tu carnibus istis

Jam nos indueras miseris. his exue et idem.
Tunc me continui ac pressi, ne saevior illis
Ingrueret cordi dolor. Omnes ore silentes
Hac stetimus, totaque die, quae deinde secuta est.
Cur mihi, crudelis tellus, non ima dehisti?
Cum lux quarta fuit, mea se ad vestigia Gaddus
Porrectum jecit: cur non mihi sufficis, ajens,
O pater, auxilium? Vitamque hic ille reliquit.
Ut me tute vides, sic trina ego singula vidi,
Exanimata fame, natorum corpora labi
Quintam inter sextamque diem: caecusque deinceps
Quemque super prensare manu ac prorepere coepi;
Perque dies trinos, postquam interiere, vocavi.
Heu miser! hinc jejunia plus potuere dolore.
Haec ubi dicta dedit, rursus, velut ossa molossus,
Dentibus impetiit caput, iratusque momordit.
O Pisae, o ingens pulcrae infamia terrae,
Quo *Si* dulce sonat, cum gens vicina moretur
Plectere vos poenis. Gorgo et Capraria surgant
Funditus ex pelago, atque Arni sic ostia claudant
Obruat ut conctos exundans gurgite cives.
Nam, si proditionis erat pater auctor, et hosti
Quod male tradiderit rumor castella ferebat;
Cur tam crudeli natos submittere poenae?
Quid, nova Thebe, Uguuculus atque Brigata merebant?
Quidnam alii, quos insontes nova fecerat aetas? —
Ulterius nos progredimur, dum venimus illuc,
Altera quo glacie gens obstipatur acuta;
At non prona solo, sed corpore versa supino:
Hic fletus non flere sinit: dolor, objce clausus,
Haud lacrymis exire potens, in corda severtit
Saevior, atque magis divellit viscera morsu.
Primae etenim lacrymae, vitrei velaminis instar,
Concrescunt, totumque cavum subter cilia implent.

Quantumvis, velut ex callo, prae frigore cuncti
Iam mihi torperent sensus, sentire videbar
Quemdam flatum aurae; versusque proinde Magistro:
Unde hic? quaesivi: nonne hinc vapor exulat omnis?
In loca jam cito devenies, ubi lumina pandent
Quod petis, is retulit, cum causam adspexeris ipsam.
Clamorem ex glacie tum sustulit unus, et inquit:
O ita crudeles animae, quibus ultima sedes
Est data, concretas oculis mihi demite guttas,
Ut, prius immanem valeam effudisse dolorem,
Quam lacrymae coeant. Tibi si succurrere me vis,
Tunc ego respondi, mihi pande quis ipse fuisti;
Ac, nisi te expediam, glaciem detrudar in imam.
Frater sum Albericus, ait, qui sevit in horto (35)
Poma mala; ac pro fico nunc charyotida sumit.
At tu, dixi ego, nondum es vitae lumine cassus.
Quomodo telluris mea membra morentur in oris
Non equidem novi, ille inqnit; sed munere gaudet
Hoc Ptolemea isthaec, ut saepe huc spiritus ante
Decidat, absciderint Parcae quam stamina vitae.
Utque magis crustas mihi demas ore lubenter,
Scito, quod, ut fraudem admisit, velut ipse peregi,
Spiritus huc jacitur: Daemon tunc illius artus
Induit atque regit, vitae dum stamina durent.
Et nunc fortassis sursum telluris in oris
Corpus udhuc Umbrae apparet, quae hic cominus alget.
Tu scis, si vere es nuper tellure profectus:
Auria Branca, inquam, multis huc lapsus ab annis. (36)
Me fallis, retuli; non est letum Auria passus:
Vivit, et omnia agit, quotquot sunt munia vitae.
Is mihi dein contra: nondum devenerat amnem
Zanchius ad piceum Michael, quando illius artus
Agnatique simul, fraudem qui struxit eamdem,
Invasit Daemon. Sed tu jam denique dextram

Tende, aperique oculos. Ast ipse aperire negavi;
Ollique esse animi immitem, fuit esse benignum.
O morum varii, Januenses, atque referti
Omnigenis vitiis! reliquos super improbus omnes
Spiritus Æmiliae, ac simul ex vestratibus unus
Est mihi tum visus; qui corpore vivere terris
Apparet, Cocyti anima frigescit in undis.
XXXIV. Inferni regis, dixit tum deinde Magister,
Vexilla apparent: vide an illum cernere possis.
Ut, quam circumagit ventus, cum involvitur aer
Aut nocte aut nebula, longe mola cernitur ingens;
Sic procul immanem molem spectare videbar.
Mox, ventum evitans, (nam, quo defenderer, ullum
Non erat hic antrum), tergo Ductoris adhaesi.
Jamque aderam, glacies (trepidans haec talia narro)
Quo sic inclusas Umbras concreta tenebat,
Ut pellucerent, festuca quasi abdita vitro.
Quaedam stant rectae, sublato hae corpore, et illae
Inversis pedibus; quaedam tellure jacentes;
Quaedam, tanquam arcus, capiti vestigia volvunt.
Cum prope tam fuimus, mihi quo monstrare Magister
Est ratus, ante omnes quì pulcrior extitit olim,
Eripuit se ex ore meo, ac me sistere jussit:
En tibi Dis, ait: ecce locus, quo fortibus usus
Est animis. Heu quale fui! quam frigidus horror
Membra mihi cepit! Noli mihi quaerere, lector,
Hoc ego non referam, siquidem verba omnia vincit.
Nec mihi mors, nec vita fuit: tu collige porro
Qualis eram, his utrisque carens, nisi mentis es expers.
Arduus ad medium glaciato ex flumine pectus
Tollebat sese: exaequor magis ipse giganti,
Quam brachia illius se mole gigantibus aequent:
Totum quam late pateat jam collige corpus,
Pars ea cui compar. Si tam fuit ille venustus,

Quantum hic turpis erat, contraque est surgere adortus,
Qui talem fecit, vere procedit ab illo
Omne malum, atque omnis luctus est trictis origo.
Ut stupui, trinas facies cum vertice vidi! (37)
Quarum erat anterior rubro suffusa colore:
Altera tum duplex humeris surgebat utrisque
Ex mediis, summaque simul dein fronte coibant;
Dexteraque et crocea et candens, subnigraque laeva,
Qualis inest Nilo perfusa colentibus arva.
Hinc illinc, quantae tam grandia membra decebant,
Tergeminis inerant geminae sub vultibus alae:
Vasta adeo nunquam pandunt sua carbasa naves.
Sunt illae implumes, quales a vespere dictis
Alitibus surgunt. Has jugiter ille movebat,
Ac tres edebat ventos: quo flamine late,
Conversa in glaciem, Cocytia stagna rigebant.
Sex oculis flebat: fletuque ac sanguine mixta,
Plurima tergeminum per mentum spuma fluebat.
Roboreum ut lignum, crebro quod verbere culmos
Obtundit lini, sic quolibet ore terebat
Is sontem; atque uno mandebat tempore trinos.
At prior, haud tantum ex morsu, sed ab ungue dolebat,
Qui pellem ex tergo violenter saepe trahebat.
Is, dixit Doctor, major quem poena fatigat,
Proditor est Christi Judas: caput intus in ore
Illi est; atque foris diverberat aera plantis.
Ex geminis aliis, quorum caput extat, et intus
Clauduntur crura, is rictu qui pandet ab atro,
Est Brutus: silet ille ferox, ac membra retorquet.
Cassius est alter, praegrandi corpore constans.
At nox jam surgit: nobis sunt omnia visa;
Atque hinc propterea jam nunc discedere tempus.
Dixit; et. ut voluit, collum complexibus arctis
Illius apprendi: Ille, locum tempusque capessens,

Haud mora, vix alas late conspexit apertas,
Se applicuit costis; perque hispida vellera sensim
Descendit, setasque inter glaciemque rigentem.
Postquam nos fuimus, femori quo innectitur alvus,
Corpus vi magna Vates contorsit; ibique,
Quo caput ante fuit, posuit vestigia versus;
Apprensisque pilis, veluti qui ascendit, adhaesit:
Quare ego sum Stygias rursus ratus ire sub umbras.
Esto tenax; hac quippe via, mihi pectore anhelo
Ille inquit, tanto fas est exire dolore.
Haec ait: atque foras per saxi deinde foramen
Exiit: ac, me deponens in margine fessum,
Hic sedisse dedit, juxta vestigia sistens.
Erexi tunc ipse oculos, utque ante reliqui,
Cernere Luciferum rebar; sed crura tenentem
Hunc sursum aspexi. Numquid tunc anxius essem,
Gens putet illa rudis, quae nescit pendere, quale
Tunc ego transierim punctum. Eja age, surge, Magister
Est mihi tum fatus: via longa, itinerque malignum est:
Unaque cum media fulget nunc hora diei.
Non ad regiam iter, sed, quam natura cavarat,
Scruposique soli ac lucis spelunca malignae
Hic erat. Ante ex regnis quam divellar Averni,
Postquam ego rurrexi, Doctor carissime, dixi,
Eloquere; ac dubia errorem mihi discute mente:
Quo nunc est glacies? cur hic est corpore versus?
Tam subito cur Sol ad mane ex vespere venit!
Tu reris, mihi Praeceptor tum reddidit, esse
Trans centrum, quo jam setis serpentis adhaesi,
Qui terebrat terrestrem orbem: trans ipse fuisti
Donec descendi: memet cum deinde revolvi,
Est tibi transmissum punctum, quo pondera tendunt
Partibus ex cunctis; sub coeli sistimus axe
Contra illum posito, quo cingitur arida tellus;

Culmine sub cujus summo consumptus obivit
Qui vixit, mortemque tulit sine crimine. Sistis
Orbe super parvo, facies qui est altera Indeccae:
Incipit hic exorta dies, cum desinit illic:
Ut prius instabat, pariter nunc Lucifer instat:
Hac ex parte ruit, Coelo revolutus ab alto;
Quaeque erat hic tellus, hujus formidine capta,
Æquore se obtexit, nostrumque recurrit in orbem;
Ac forte, ut fugeret, vacuum hic sublapsa reliquit.

Est illic, post Luciferum, tam vastus ut ipse
Est (38) tumulus, locus, haud oculis, sed murmure rivi
Auriculis notus; qui saxo prosilit, unde
Ipse viam secuit; facilique hinc tramite circum
Volvit aquam. Hac, per iter caecum, vestigia sursum
Tendimus absque mora, dux primus et ipse secundus,
Donec per teres hinc Celi convexa foramen
Aspexi; atque revisum exinde evasimus astra.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER V.

I. Ut currat meliorem undam, jam carbasa tollit
Cymba mei ingenii, mare tam crudele relinquens;
Atque aliud sumam percurrere cormine regnum,
Dignus ubi ad Celum purgando ascendere sedes
Spiritus efficitur. Surgat rediviva poesis,
Pierides sanctae, quoniam sum vester alumnus.
Effundat cantum nunc Calliopea sonorum,
Quo sic sunt olim victae in certamine pichae,
Ut non sperarint veniam. — Cum ex aere caeco,
Qui mihi tristitia pectusque oculosque replerat,
In lucem evasi, tamquam saphirus eous,
Jucundus recreare color mihi lumina coepit,
Unde renidebat late clarissimus aether,
Ad primum usque orbem. Pulcrum, quod suadet amare,
Eoam ridere plagam dabat undique sidus,
Pisces advelans socios. Dextram ipse petivi,
Atque polo hic paulum adverti; vidique micantem
Sideribus quatuor, quae nemo viderit unquam,
Ni gens prima hominum (1): flammis gaudere coruscans
Hisce videbatur Celum. Quam lucis es expers,

Quam vidua es, tellus septem subjecta trioni,
Cum non haec videas! Ex his cum lumina verti.
Atque polum hinc alium inspexi, sese unde remorat
Jam plaustrum Arcturi, solus mihi visus adesse
Est senior; tantum venerabilis, ut neque nato
Tantum sit genitor. Prolixaque, mixtaque canis,
Barba erat, assimilisque comae; quae pectus ad imum
In geminas illi partes divisa, cadebat.
Sidera tam quatuor clarabant lumine vultum,
Ut sic aspicerem, tanquam Sol ante fuisset.
Quinam estis, barbam motans ait ille verendam,
Qui, caecum adversus flumen, de carcere tetro
Inferni existis? quis dux? quis lampas opacas
Per tenebras fuit, aeteruum quibus horret Avernus?
Numne Erebi leges ruptae? aut sententia Coeli
Versa est, ut mea damnatos vos antra receptent?
Tum Dux me apprendit, verbisque ac nutibus egit,
Ut vultu ac genibus colerem; mox orsa roganti
Sic retulit. Non sponte adsum: ex coelestibus oris
Descendit mulier, mihi quae mandavit, ut essem
Huic comes. At, quia vis magis ut tibi nostra patescat
Conditio, est pariter mihi non reticere voluntas.
Non horam extremam hic vidit, sed proximus illi
Sic ob stultitiam fuit; ut non tempore multo
Abfuerit quin occideret. Discrimine tanto
Missus ut eriperem veni: via nulla dabatur,
Hanc nisi quam cepi. Cunctos jam cernere sontes
Huic dedi; et huic Animas pariter nunc pandere mens est,
Quae sub jure tuo commissa piacula purgant:
Quomodo adhuc duxi, nimis esset dicere longum;
Coelica adest virtus, quae me corroborat, ut te
Visum ac auditum venienti adsistere possim.
Tu bonus excipias: libertas quaeritur illi,
Cujus scit pretium, qui vitam hac absque recusat.

Tu scis, qui hanc propter voluisti amittere vestem
Corpoream, quae olim radiis induta micabit.
Abruptas nobis leges ne rere supernas:
Hic etenim vivit, nec dat mihi vincula Minos.
Illa in sede moror, tua quo pudibunda moratur
Martia, quae te nunc etiam, vir sancte, videtur
Orare, ut tua sit conjux. Pro illius amore
Te precor idcirco: precibus bonus annue nostris,
Ac tua per septem sine nos incedere regna.
Grates a te illi referam, nisi forte gravaris
Tali in sede tuum memorari nobile nomen. —
Tam mihi cara fuit dilectaque Martia, dixit
Tum senior, dum illic essem, ut quidquid averet
Omnia perficerem; sed enim, quando illa moratur
Trans Acherontis aquas, nunc me nequit ipsa movere,
Ob legem, quae fixa fuit, cum sum inde profectus.
At, si, sicut ais, mulier te celica ducit,
Non opus illecebris: satis est petiisse per illam.
Vade igitur, juncoque mero huic tu corpora cinge,
Ac vultum abluito: nam primum adiisse ministrum,
Qui Coeli est unus procerum, caligine turpi
Non decet inspersum. Multos haec insula ad imum,
Quo vitrea pulsatur aqua, parit undique juncos.
Altera non hic evaleat consurgere planta,
Cui sit durities, (flecti nam nescit ad ictus),
Aut quae se foliis ornet. Ne huc deinde regressus
Sit vester: monstrabit iter, qui proximus ortu
Est Sol: quo minus assurgit, conscendite montem.
Inquit, et avertens abiit. Nihil ipse locutus,
Me tunc erexi, ac Ductori totus adhaesi,
Illi oculos vertens. Qui sic mihi farier inflt:
Me sequere, o fili; atque simul vestigia retro
Vertamus; nam hinc planities declinat ad imum.
Jamque, diem referens, fugientem Aurora premebat

Matutinam auram, placidique proinde videbam
Caeruleas longe crispari marmoris undas.
Per solum ac planum imus iter, quo more viator
In callem, a quo deerravit, se deinde reducit,
Incassum tunc ire putans. Ut venimus illuc,
Quo ros nascenti, quoniam defenditur umbra,
Luctatur Soli, atque parum rarescit ab aestu,
Suaviter is posuit passas in gramine palmas:
Quod simul ac vidi, lacrymantes protinus illi
Exhibui ipse genas; ac sic dedit ore reverti,
Quem situs inferni mihi texerat ante, calorem.
Venimus exin deserti sub littoris oram,
Quod nunquam vidit sua nare per aequora quemquam,
Cui fuerit mox regredier concessa facultas:
Hic, ut jussus erat, junco mihi corpora vinxit.
Oh mirum visu! quo virgam abscidit, ibidem
Altera continuo similis prodivit in auras.
II. Jam Sol extremo prodibat margine Coeli,
Quem medium findens, Solymaeam desuper urbem
Vertice ab excelso prospectat circulus alter;
Ac Nox, obscuras volvens contraria bigas,
Tollebat de Gange caput cum Lancibus aequis,
Quas mox amittit, cum longior explicat umbras. (2)
Aurorae inde genas, ubi eram, niveasque rubrasque
Jam color ex nimio tingebat luteus aevo.
Littus adhuc nos propter erat, sub corde putantes,
Ac similes genti, tacito quae pectore secum
Volvit iter, vaditque animo dum corpore sistit.
Quale, sub Auroram, crasso rubet aere septus,
Ut solet, Hesperiumque super Mars emicat aequor,
Haud aliter vidi (oh utinam talem inde revisem!)
Per mare tam propere nos versus tendere lumen,
Nullus ut assimilis valeat celer esse volatus.
Cumque oculos verti, ut Doctorem proinde rogarem,

Exin est major mihi splendidiorque revisus.
Quid foret haud noram: mox paruit undique candor;
Et candor subter sensim mox paruit alter.
Nil meus est fatus Doctor, dum primus in alas
Explicuit sese candor: tum cognitus illi
Nauta est: Flecte, o flecte genu, clamavit, et ambas
Iunge manus: est Numinis Angelus: hosce ministros
Iam deinde aspicies: humanis artibus uti
Conspice ut is temnit, remosque ac vela recusat;
Utque suis unis, per tam loca dissita, pennis
Navigat; has Caelo erigit, atque his aera tractat,
Quas nunquam mutat, genus ut mortale capillos.
Ut propius venit, praeclarius ille refulsit,
Nec mea vim lucis potuerunt lumina ferre,
Demisique solo. Tum sic levis ille phaselo
Advenit ripas, ut aquas pars nulla subiret.
Navita celestis sublimi in puppe sedebat
Talis, ut inscripta legeres quasi fronte beatum.
Ac multae intus erant Animae, una voce canentes
Hymnum Iessaei regis, memorantis ab oris
Abramidum Phariis abitum. Dein littore tacto
His crucis effecit signum; ac perniciter omnes
Insiluere solo: is velox, ut venit, abivit.
Quae turba hic mansit, rudis atque ignara locorum
Visa est, circum oculos vertens, nova more videntis.
Undique jam fulgens vibrabat ab aethere tela
Sol, quibus ex medio Capricornum ejecerat axe,
Cum nova turba oculos in nos erexit, et inquit:
Si scitis, monstrate viam, quae ad culmina ducit.
Cui Vates contra: Gnaros vos forte putatis
Nos hujusce loci: sed gens sumus advena, quales
Vos estis: paulo jam venimus ante, per aspras
Difficilesque vias, ut nunc ascendere montem
Nobis lusus evit. Cum me, ex spiramine, vitam

Ducere adhuc novere Animae, pallore stupentes
Infecere genas. Veluti cum nuntius urbem
Ingreditur, ramum gestans pacalis olivae,
Undique gens circum currit, premiturque premitque,
Quid ferat audire exoptans: sic protinus illae
In me verterunt vultum, quasi tergere sordes
Immemores ire. Ex mediis erumpere quidam
Est mihi tum visus: me amplecti captus amore
Usque adeo, ut pariter fuerim id fecisse coactus.
Oh, preter visum, vacuae, ac sine sensibus, Umbrae!
Brachia ter collo intendi, totidemque reversa
Brachia sunt vacua ad pectus. Stupor, arbitror, ora
Tum mihi conspersit: subrisit quippe, retroque
Is sese tulit. Ipse subî, refugumque sequebar;
At me suaviloquis verbis consistere jussit.
Tunc illum agnovi; paulumque adstare rogavi,
Ac mecum fari. Quo te, respondit, amore
Dilexi, cum vitam agerem, nunc corpore cassus
Diligo, et hinc sisto: sed tu quas tendis in oras?
Hoc iter ingredior, retuli, dilecte Casella,
Ut, quibus abscessi, in sedes exinde revertar.
Sed tibi, dic quaeso, tantum cur tempus ademptum est?
Ille autem contra: nulla est injuria facti,
Si, qui quem velit et quo tempore, sponte suapte
Suscipit, hunc nobis transgressum hucusque negavit;
Namque voluntatem facit illi justa voluntas. (3)
Sunt equidem quasi tres menses, ex quo ille libenter
Quot voluere vehi, plena cum pace recepit. (4)
Me quoque, qui adstabam flavi prope Tibridis oram
Qua fluit in pontum, excepit tunc ille benignus.
Littus ad id nunc ipse redit: nam Spiritus omnis,
Huc opus est veniat, qui non descendit ad Orcum.
Tunc ego: ni mos, aut lex, aut oblivia, cantum
Fundere dulcisonum prohibent, qui carmine molli

Omnigenas curas mihi jam sedare solebat,
Paulum animam huc solare meam, quae fracta labore
Est adeo, huc sua membra trahens. *Qui pectore mecum* (5)
Dulcis Aaor loquitur, coepit tam suaviter ille,
Ut mihi nunc etiam repleat dulcedine sensus.
Praeceptor, simul ipse, ac turba, ita voce beari
Sunt visi, tanquam non altera cura moveret.
Intenti fixique suis nos cantibus omnes
Haesimus. Ecce autem senior: quid statis inertes
Hic, Animae? quae segnities? quae ignavia? dixit
Inclamans: agedum, properate, ascendite montem,
Quaeque Deum spectare vetant, detergite sordes.
Ut quondam in campis, lolii segetisque palumbes
Semina cum placidi ac solito sine murmure, carpunt,
Siquid terruerit, confestim pabula linquunt;
Major enim his cura incumbit: sic illa reliquit
Turba recens cantum; ac montem festina petivit,
Ut qui forte means, nescit quo tramite pergat;
Nec magis hac ipsi fuimus procedere segnes.
III. Cum gens, voce senis per campum dissita, montem
Effugeret versus, ratio quo admissa repurgat, (6)
Me Ducis applicui lateri; quippe, illius expers
Auxilio, quid ego egissem? conscendere celsum
Quo mihi fas fuerit montem? Ab sese ipse remorsus
Est mihi tum visus. Proh mens recti integra, quam te
Impetit ingenti vel culpa levissima morsu!
Illius cum deinde celer vestigia motus
Deseruit, per quem cunctis aufertur honestas
Actibus, ipse animum, qui se contraxerat ante,
Laxavi, ut curis vacuum; et, qua se altius effert.
In montem subrexi oculos. Post terga refulgens,
Ante meum corpus Sol se frangebat; ab ipso
Quippe rubris radiis obstans fulcimen habebat.
Me trepidus verti, solum ratus esse relictum,

Cum me solum ante, aspicerem nigrescere terram.
At mihi Dux inquit: tua cur fiducia cessit?
Nonne igitur me haerere tibi, ac te ducere credis?
Illic vesper adest, quo mortua membra reliqui
Quae dederunt umbram, Calabris ex sedibus urbem
Vecta hinc Parthenopes: mirari desine, nullam
Mittere me aspiciens umbram, non secius atque
Aspiciens lucem varios transmittere Celos.
Diva facit virtus, ut corpora frigus et aestum
Ista pati possint, nobisque patere recusat.
Stultus, qui nostram sperat percurrere mentem
Posse viam immensam, per quam Substantia trinis
Unica personis tendit. Disquirere noli
Gens homuna, nimis: si cuncta agnoscere posses,
Non opus ut pareret Virgo Iessaea fuisset. (7)
Incassum multos vidisti quaerere, quorum
Pressa quievisset, quae nunc est poena, cupido.
Nicomachi prolem dico, magnumque Platona,
Atque alios multos. Siluit, vix talia fatus,
Demisit frontem, ac turbato restitit ore.
Progressi interea ad montis devenimus imum:
Ardua sic cautes erat, ut vestigia nemo
Sursum ferre queat. Quae sunt magis ardua saxa
Montibus in Ligurum, proclivis semita valde
Huic collata forent. Quisnam nunc noverit, inquit
Consistens Vates, qua sese mollius effert
Parte jugum, ut pennis expers ascendere possit?
Ac, dum demisso perpendit plurima vultu,
Atque ego sursum oculos tollo, gens altera sese
Obtulit ad laevam, quae nos vestigia versus
Tendebat; sed tam lente, ut non ire putarem.
Tolle oculos, Vati conversus, protinus inqui;
En qui consilium, si tute inquirere nescis,
Iam tibi sufficient. Is me respexit, et ore

Deinde alacris: lente hi, dixit, gradiuntur; eamus
Nos illuc; ac tu, fili, spem concipe firmam.
Cum gens illa aberat, postquam processimus ante
Mille gradus, quantum validus secat aera telo
Arcitenens, steterant omnes, et cautibus altae
Sese adstrinxerunt ripae, velut ille tuendo
Qui stat multa putans. Vates tum talibus infit:
O Animae electae, ac vitae bene tempora mensae,
Per pacem, quam vos reor expectare beatam
Dicite, vos quaeso, qua mons se deprimit iste.
Ut sursum sit ferre pedem; nam amittere tempus
Plus taedet, qui plura sapit. Velut una, duaeque,
Tresque simul, gradiuntur oves, dum septa relinquunt,
Subtimidaeque aliae demissa fronte morantur;
Et, quod prima facit, faciunt et deinde sequentes:
Illique incumbunt dorso, cum sistere quidquam
Impulit; ignorantque rudes cur talia faxint:
Agminis illius sic tum procedere vidi
Ipse apicem, incessuque gravem vultuque pudicum;
At, meo ut ad laevam perrumpi corpore lucem
Videre; ac, specus usque, solo protendier umbram, (8)
Constiterunt, paulumque retro vestigia primi
Rettulerunt; et idem pariter fecere sequentes,
Quin causam nossent, Queis sic tum talia Vates:
Quamlibet haud petitis, tamen hunc constare fatebor
Corporeis membris; quapropter cernitis umbram
Projici, et ante ipsum proscindi lumina Solis.
Parcite mirari: neve hunc sine numine Celi
Credite quod celsum praesumat scandere montem.
Sic Vates; illique manus tunc indice dorso
Nutantes: ergo euge, redite, invadite callem,
Dixere. Atque unus: mihi dirige, quisquis es, inquit,
Sic gradiens, vultum; atque vide num aspexeris unquam
In terris. Me obverti, atque illi lumina fixi.

Nobilis aspectu, ac pulcher, flavusque capillis
Ille erat, at cilium crudeli vulnere sectus.
Cumque humilis nosse abnuerem: nunc aspice, dixit,
Ostenditque mihi summo sub pectore vulnus.
Exin subridens: Manfredum cerne, nepotem
Sponsae, ait, induperatoris: Constantia nomen. (9)
Oro, meam ut pulcram, terras cum deinde videbis,
Ipse adeas natam, quae Trinacriaeque et Iberi
Est enixa decus; verique huic nuntius esto, (10)
Si quid fama aliter referat. Cum duplice laesum
Vulnere me vidi, lacrymis sum versus obortis
Olli, qui semper veniam est praebere paratus:
Magna ego flagitia admisi; at clementia tantum
Protendit divina manus, ut quidlibet illi
Vertitur, excipiat. Tuus, o Consentia, Pastor
In Domino si id legisset (cui expellere Clemens
Me tunc mandavit), Beneventum propter, humata,
Principium post pontis, adhuc mea membra jacerent
Saxorum sub mole gravi, queis tecta fuere;
Nunc pluviae ventoque patent, Viriden prope flumen,
Regni extra fines, ea quo sine lumine vexit. (11)
Dum spes vivit adhuc, divini anathemata amoris
Haud reditum prohibere valent; sed, crimina quamvis
Pertaesos doleat, qui mortem obiere rebelles,
Hic opus est annos ex hac absistere ripa
Ter pro quoque decem, quo jam parere negarunt,
Ni prece contrahitur tempus. Mihi noveris ergo
Quam prodesse potes: mea fac Constantia discat (12)
Qualem me tu vidisti, et qua lege revinctum:
Multum hic namque ferunt viventum vota jujamen.

IV. Cum quidquam ex nostris aliquam virtutibus olim (13)
Arripit, aut tristis dolor, aut jucunda voluptas,
Huic anima omnino aggeritur, cunctisque videtur
Abduci penitus reliquis: (quod proinde refutat

Qui plures animas in nostro corpore rentur). (14)
Propterea, cum quidquam oculos aut occupat aures,
Cui illa intendat, tempus abit, nec sentit abire:
Altera, quae cernit, quaeque audit, quippe facultas
Est animae; altera vero, quae manet integra: quarum
Libera et haec est, atque illa ut circumdata vinclis.
Hoc ego sum tunc expertus, sermone loquentis
Correptus, totoque animo miratus inhaerens:
Nam decies Sol quinque gradus ascenderat axem
Quin ego sensissem; cum illuc devenimus, unà
Quo nobis dixere Animae: quod poscitis, hic est.
Saepe aditum paucis majorem sentibus obdit
Rusticus, ut dulces uvas nigrescere cernit,
Quam foret hic callis, quem Dux ac ipse secutus,
Postquam discessere Anîmae, transivimus ambo.
Vaditur in Castrum pedibus, Leo nomine sanctus,
Vaditur et Naulum, et qua se Bismantova tollit,
Vertice contingens nubes: hic vaditur alis,
His nimirum alis, quas et succensa cupido
Sufficit, et Doctor, spem consiliunque ministrans.
Provehimur sursum per saxi concava, utrinque
Margine constricti, pedibus manibusque meantes.
Cum summun attigimus ripae, ex quo cernere late
Fas erat, obversus Vati: qua tendimus? inqui.
Me sequere, ulteriusque pedes, ait ille, feramus,
Dum prudens, qui monstret iter, gradientibus adsit.
Altus erat vertex ut lumina vinceret, atque
Clivus ita abruptus surgebat, linea valde
Plusquam, de medio ad centrum deducta quadrante.
Fessus eram, ac dixi: te te, pater optime, verte;
Aspice. quod solus, nisi sistas, ipse relinquor.
Ille autem: huc usque, inquit, fili, nitere ferri,
Ostendens saxum, non multum desuper, extans, (15)
Hac in parte omnem praecingens undique montem.

Sic mihi ab his animus verbis est auctus, ut illuc
Reptando ascendi; atque ibi tum considimus ambo,
Lumina ad Eoam versi, ex qua venimus, oram;
Quippe retro spectare juvat. Prius ima tuendo.
Sum loca permensus; dein lumina Solis ad orbem
Erexi, ac stupui ad laevam splendescere cernens,
Agnovit Vates oculos me tendere Soli
Mirantem, quoniam nos inter is esset et Arcton;
Atque ait: hoc speculum, sursum pariterque deorsum
Adducens terrae lucem, si sidera haberet
Juncta sibi geminos fratres, magis esse propinquum
Zodiacum aspiceres Ursis, nisi tramite abiret
Quo se ferre solet. Tecum sic collige causas:
Rere Sion montemque istum consistere terrae
Partibus adversis: idem quapropter horizon
Sit simul ambobus, pars at coutraria Coeli,
Quo male non rexit currum Clymeneia proles. (16)
Si sapis, agnosces Solem, unique ire sinistram,
Alteri et ad dexteram. Nunquam, dilecte Magister;
Mens mea tam clare, quam nunc intelligit, inqui,
Cum sum deesse ratus: medius nam cisculus ille,
Æquator cui nomen inest, hiemem inter et aestum
Sese habet: hinc tantum gelidam Sol vergit ad Arcton,
Abramidae quatum ardenti jam parte videbant.
At, tibi si placeat, quod nobis restat eundum
Scire velim; nam mons plusquam mea lumina surgit.
Hujus montis iter primùm ascendentibus arduum,
Ille refert: mox usque magis mollescit eundo.
Cum leve propterea pronumque videbitur ire,
Non secus ac navis si te vehat amne secundo,
Tum tibi finis adest; tibi tunc captare quietem
Fas erit: hoc certum scio, nec verbum amplius addam.
Vix ea finierat, cum vox: tibi forte sedendum
Ante erit, increpuit. Qua voce impulsus uterque

Vertimur; ac nobis ad laevam surgere cautes
Visa ingens, non visa prius. Procedimus illuc,
Atque ibi conspicimus post saxum adsistere quosdam
Captantes umbram, tempus de more terentis
Propter segnitiem: quos inter se unus habebat
Assimilis lasso, manibus compressa duabus
Genva tenens, inter demissus et utraque vultum.
O domine, hunc segnem, sum fatus, conspice, tanquam
Pigritiae fratrem. Versus tunc ille loquenti,
Per femur os tollens: sursus te prosipe, dixit,
Tu, cui robur inest, solidoque in corpore vires.
Tunc illum agnovi; nec, qui mea fessa tenebat
Membra, labor vetuit, quin illum promptus adirem.
Vix caput is tollens: novisti quomodo currum
Sol, ait, ad laevam ducat? Brevia illius orsa
Ignavusque habitus, mea labra emittere paulum
Impulerunt risum. Nil jam, tum protinus inqui,
Me miseret, Belacque, tui; sed dissere, quaeso, (17)
Cur piger hic sistis? quae te mora detinet? utrum
Ductorem expectas? an mos te servat inertem?
Ille mihi retulit: quid sursum tendere, frater,
Profuerit? portae qui custos Angelus adstat,
Indugredi haud sineret: tot enim illinc cogor abesse
Quot mihi viventi Sol circumvolverit annos;
Nam diem ad extremum sum crimina flere moratus,
Ni mihi forte preces, quae puro ex pectore surgant,
Auxilio fuerint: aliae sunt viribus orbae. —
Jamque secutus iter, Vates anteibat, et: euge,
Ajebat, propera: medium Sol igneus axem
Jam tenet, ac Lybicis nox incubat humida terris.
V. Umbris jamque his abstiteram, Vatemque sequebar,
Cum, tollens digitum, est quidam post terga locutus:
Cernite, non sol ad laevam lucere sequentis
Apparet: vivo est similis. Mea lumina verti

Continuo ad vocis sonitum; vidique stupentes
Me me Animas illas, et ruptam cernere lucem.
Cur tua mens rebus sese sic implicat? inquit
Tunc Vates, ut lentus eas? Quod dicitur istie
Quid tua nunc refert? tibi sit me cura sequendi,
Ac gentem blaterare sinas: par turribus esto,
Quarum nulla movent ventorum flamina culmen:
Pluribus intentus, coepto vir saepe priori
Abstrahitur; nam se minuunt per mutua curae.
Dicere tunc ego quid poteram, nisi: protinus adsum?
Atque, colore genas, veniam qui saepe meretur,
Inspersus, dixi. Transverso tramite sese
Spirituum interea per montem turba ferebat
Prae nobis paulum, sejunctis versibus una
Hymnum Jessaei regis *Miserere* canentum.
Cum mea viderunt radiis impervia membra,
In longum ac raucum oh verterunt carmen hiantes.
Mox duo, ab his missi, scitatum se ante tulere
Conditio quae nostra foret. Queis: vadite, Doctor,
Ac sociis, vera ex carne hunc constare referte,
Dixit; et hoc satis, umbram si mansere videntes,
Ut reor: huic reddant, hos namque juvabit, honorem.
Accensos nunquam prima sub nocte vapores
Currere per coelum vidi, nec sole cadentes
In mense augusti nubes, ut protinus illi
Ad socios rediere suos; cumque agmine toto
Se ad nos verterunt, ut fraenis turba carentum.
Nos gens multa petit, Vates ait, atque rogatum
Te venit: intende his aures, ac insimul ito.
O qui, clamantes ibant, ad gaudia pergis
Indutus membris, quibus es de matre creatus,
Siste parumper iter: quemquam num videris unquam
Aspice, ut in terras illius nuntia portes:
Cur tam praepes abis? cur non vestigia sistis?

Nos omnes fuimus consumpti morte cruenta,
Usque et ad extremam culpas servavimus horam:
Coelica tum nostram movit lux denique mentem;
Quare praebentes veniam, scelerumque dolentes,
Atque in pace Dei, moribundos liquimus artus.
Qui nos nunc torquet magno se ardore videndi.
His ego tum contra: quamvis vestra intuor ora
Luminibus fixis, nemo se cognitus offert.
Si quid vos juvet, ac mihi sit praestare facultas,
Dicite, felices Animae, faciamque lubenter:
Per quam de mundo in mundum, hoc duce, quaerere cogor,
Obtestor pacem. Nihil est jurare necessum,
Unus ait: verbis nisi forte potentia desit,
Cuique tuis est plena fides. Qui prae omnibus unus
Alloquor, idcirco te, si unquam videris oram
Inter Japygiam Æmiliamque, precor, mihi junctos
Sanguine commoneas Fani, ut pia vota precesque
Fundant pro me rite Deo, et mea crimina purgent:
Hac fui in urbe satus; sed quae mihi vulnera vitam (18)
Abstulerunt, muros (quò tutior esse putabam)
Propter Agenoreos, mihi furtim illata fuerunt.
Attius haec jussit, qui me plus oderat aequo.
Si Miram versus fugissem, juxta Oriacum
Cum sunt me aggressi, cunctis fortasse periclis
Exissem, atque etiam fruerer vitalibus auris;
Ast ego me in stagnum jeci; cannaeque lutumque
Implicuere pedes: caenoso in gurgite lapsus,
Atque ibi transfixus, vitam cum sanguine fudi.
Sic ille. Hinc alter: tibi sic expleta cupido
Sit, dixit, per quam pergis conscendere montem,
Expleri da, quaeso, meam. Sum in monte creatus
Ipse Ferentano: Boncontes nomine dicor. (19)
Nulla mei superest uxori cura Joannae,
Nulla cuique alii: auxilio sic indigus omni

Hos inter cogor demissa incedere fronte. —
Quae ex Campaldino te vis fortunaque longe
Tam pepulit, retuli, ut statio sit deinde sepulcri
Ignorata tui! — Exoriens super, inquit, heremum
Ex Appennino, Clusî sub defluit agros
Torrens: Arclanum dicunt. Quo lapsus in Arnum
Amittit nomen, transfixo gutture veni,
Effugiens pedes, ac perfundens sanguine terram.
Hic visum ac vocem amisi; quae desiit, almae
Virginis implorans Mariae venerabile nomen.
Vera loquor, vivisque refer. Me Numinis adstans
Angelus excepit, dum clamans frenderet alter
Tartareus: cur, Caelicola, hunc mihi subripis? unam
Propter lacrymulam, partem tu suscipis hujus
Æternam; ast ego corporeos immaniter artus
Disperdam. Scis aetherium per inane vapores
Surgere, et hic rigido densari frigore, ut inde
In pluvias recidant. Malus ille, nefandaque poscens,
Huc venit; fumumque suis pro viribus atrum
Ac ventum movit; quare, cum deinde ruit nox,
A Prato-magno tecta est caligine valles
Ad magnum usque jugum; ac densus super horruit aether.
Solvitur in pluviam aer: quam non terra receptat,
In rivos fluit; et, cum amplos convenit in amnes,
Sese regalem fluvium tanto impete versus
Immissit praeceps, ut nil obsistere posset.
Faucibus inveniens Arclanus corpus, in Arnum
Impulit; et, quas more crucis, cum me dolor asper
Evicit, junxi, palmas a pectore solvit.
Per ripas ac fundum volvens atque revolvens
Mox tulit, atque sua me obtexit denique praeda. —
Oh, precor, in terras cum veneris, atque quiescas,
Tunc memor esto mei, dixit tum Spiritus alter:
Sum Pia: natalis Senae mihi terra fuere,

Ac mortem occubui Thusci sub marmoris oram:
Is plane hoc novit, qui me praecinxerat ante
Annulo, eoque sibi dederat sociam esse cubilis.
VI. Cum finem alea ludus habet, qui perdidit, aeger
Consistit, repetitque vices, ac discere tentat:
Victorem gens consequitur: praeit alter euntem;
Alter pone premit; lateri sese applicat alter:
Non is proinde manet, nunc huic, nunc versus et illi;
Et, quibus est quidquam largitus, sponte recedunt:
Sic turbam evadit. Talis tunc agmine denso
Ipse ego vertebar, faciem circum undique volvens;
Multaque pollicitus, simul expediebar ab illis.
Hic Aretinum vidi, qaem funere Ghinus (20)
Plectit; quique sequens hostes est mersus in Arnum. (21)
Vidi protensis palmis orare Novellum, (22)
Illumque ex Pisis, quem propter pectore fortem (23)
Marsuccus sese ostendit. Comitem insuper Ursum (24)
Vidi; ac te, velut ajebas, sine crimine, leto,
Propter et invidiam, Broccensis, dedite, Petre. (25)
Prospiciat sibi, dum vivit, regina Brabantis,
Ne dein morte obita loca deteriora receptent.
His ubi me expedii, qui aliorum vota precesque,
Ut sibi ad ora Dei tempus brevietur eundi,
Quaerebant, me ad Vatem verti, ac deinde rogavi:
O mea lux, quaedam tua verba negare videntur
Quod quis jussa Dei possit mutare precando;
Hoc isti exorant: num spe pascuntur inani?
Aut tua non valeo plene deprendere dicta?
Doctrinam esse meam, nisi sit mens devia recto,
Agnosces claram; nec spes hos irrita fallit,
Ille refert. Domini non se sententia flectit,
Si quis mortalis, divino incensus amore,
Expleat in terris, momento temporis uno,
Quod debent isti, qui sedibus hisce morantur.

De hoc ubi sum fatus, defectum vota replere
Haudquaquam poterant, quod summo a Numïne abessent.
Hoc dubium ne mente fove, nisi dixerit illa
Quae verum ac mentem inter erit penetrabile lumen.
Mescio an id capias: mihi dicitur alma Beatrix.
Quam super aspicies ridenti in vertice montis.
Dux bone, tum retuli, properemus iterque sequamur
Praerapide; jam non lassor, velut ante solebam:
Jamque vides quod monte cadit prolixior umbra.
Dum nitet ista dies, dixit, nos ibimus uitra,
Quantum fas fuerit; sed res diversa profecto est
Ac quam animo versas. Non ante adveneris illuc
Quam, qui nunc rupe acclinis velatur ab alta,
Proptereaque tuo radios haud corpore scindit,
Aspicias reducem. Sed enim illic inspice solam
Stare Umbram, ac nobis intento lumine versam:
Illa quidem ostendet, brevior qua semita ducat.
Continuo hanc petimus. Proh quam gravis atque severa
Insubri Umbra viri, hic stabas! quam lente et honeste
Lumina volvebas! Nullam dabat illa loquelam,
Nos tantum inspiciens, recubantis more leonis.
Accessit Vates, et qua minus aspera surgat
Semita quaesivit. Nil reddidit illa roganti;
At genus et patriam petiit. Tum Dux meus infit:
Mantua. Sola loco surrexit protinus Umbra,
Illique occurrens: tellure creatus eadem
En tibi Sordellus (26), dixit; cupidoque vicissim
Complexu haeserunt. O foeta doloribus, atque
Servili compressa jugo; ratis orba magistro
Debacchante hieme; meretrix, non arbitra gentium,
Italia! Audito patriae vix nomine terrae,
Gestiit illa animo, magnumque ostendit amorem
Huic civi Umbra suo; at vivi sine Marte cruento
Non tibi sunt cives: eadem quos moenia claudunt,

Fossaque quos eadem cingit, se mutua rodunt.
Cerne tuas ad pontum oras; te in pectore cerne;
Pax ubinam? Quidnam, quod Justinianus habenas
Iam tibi composuit, prodest, si ephippium inane est?
Quin minus, hae si deficerent, tibi dedecus esset.
O gens, quae, devota Deo, quae, dedita sacris,
Debueras sinere, ut Caesar se in sede teneret,
Si sapis, ac manifesta tibi est sententia Christi,
Aspice, ut indomitam, quoniam est calcaribus expers,
Se gerat haec fera, postquam tu susceperis audax
Frena mauu. O qui hanc indocilem temereque furentem
Destituis, cui deberes insidere dorso,
In genus, o Alberte, tuum descendat ab astris
Iudicium, et clarum atque novum, ut sit territus ille
Qui post sceptra geret. Cupidi ditione tenere
Germanas terras, sivistis tuque paterque
Desertum Italiam fieri. Hic hic aspice, segnis,
Montecchios, Cappellettos, unàque Monaldos
Atque Philippescos, illos jam clade dolentes,
Hosce metu plenos. Huc huc, crudelis, adesto,
Centilesque tuos oppressos aspice, opemque
Ferre malis propera: quantum hic secura videbis
Est (27) Sanctaflora. Huc tua te nostesque diesque
Roma vocat vidua; et quianam mecum esse recusas,
Mi Caesar? clamat. Quam mutuus undique gentes
Aspice jungat amor. Si nil tibi pectore nostri
Est pietas, adsis, ut te tua fama pudore
Impleat. O nostri generis Reparator et Auctor,
(Parce meis verbis) alio cur lumina vertis?
Aut est divinae non perscrutabile mentis
Consilium, fluat unde bonum, plenam esse tyrannis
Terram omnem Italiae? ac Marcellum evadere, quisquis
Rusticus in partes venit? O mea, vocibus istis,
Queis sum digressus coepto, Florentia, valde,

Est tibi gaudendum: non his nam tangeris ipsa,
Cum tam recta tuos teneat sententia cives.
Multi justitiam tacito sub pectore servant;
Ac raro hanc adhibent, temere ne spicula vibrent:
At tua gens summo ore gerit. Civilia multi
Munia detrectant; at gens tua sponte gerenda
Haec sumit, curisque alacris se dedicat urbis.
Gaude igitur, nam jure potes gaudere lubenter:
Tu dives, tu pace fruens, tu provida rerum:
Nonne tua his dictis respondent omnia facta?
Cecropidis qui jura Solon, qui jura Lycurgus
Spartanis antiqua dedit, juvere parumper
Si tibi respicitur, quae tales callida leges
Constituis, quae vix mensem servantur in unum.
Quoad meminisse licet, quoties et munia, et ipsos
Munia qui exercent, moresque, ac jura novasti,
Nec non et variis excusa numismata formis!
Si mentem advertis, similem te noveris aegrae,
Quae, thalamo recubans, nunc huc nunc vertitur illuc,
Immutansque latus, quaerit lenire dolorem.
VII. Dulcibus ac laetis indultum terque quaterque
Cum fuit officiis, Sordellus destitit, atque:
Qui vos estis? ait. Vates cui rettulit ultro:
Ante Animae hunc montem, dignae conscendere Caelum,
Quam colerent, jam tum Augustus mea membra sepulcro
Condiderat: sum Virgilius: mihi crimina nulla
Celestem abstulerunt sedem; verùm obstitit unus
Defectus Fidei. Qualis, miracula rerum
Qui nova continuo videt, admiratur et haeret
Attonitus, secumque putat non esse vel esse;
Taliter is tunc obstupuit: dein lumina flexit,
Atque humilis Vati accessit; rituque minoris
Genva est amplexus. Latiae ingens gloria gentis,
Inquit, per quem est visum, quanta potentia nostrae

Sit linguae; o illius terrae, sum unde creatus,
Immortale decus, quae te mihi gratia monstrat?
Quale ingens meritum? Nisi sum te audire loquentem
Indignus, dic quaeso: num Flegetontis ab oris,
Aut aliunde venis? Cunctos, respondit, Averni
Emensus gyros, venio: me caelica virtus
Movitque ac ducit; non est mihi namque supernas,
Quo tu ire exoptas, vetitum conscendere sedes
Ob factum, sed ob infectum; nam cognita sero
Est mihi lux Fidei. Locus est tellure sub ima,
Tristis, non poenis, sed caligantibus umbris;
Quo suspiria, non autem lamenta doloris
Ulla sonant: hic sedem habeo, cum infantibus illis
Quos mors, nondum humana ablutos labe, momordit;
Cumque is, qui sanctis haud se virtutibus unquam
Induerunt trinis; vitiisque absentibus, omnes
Noverunt reliquas, ac sunt apprima secuti.
Si scis, atque potes, nobis da noscere signum,
Ut cito pergamus, quo purgatoria vere
Incipit haec sedes. Non est, tunc ille reponit,
Nobis certa domus: sursum circumque vagari
Fas est: quoad potero, veniam tibi ductor eunti.
At jam prona dies, ut cernis, labitur axe;
Nec quis nocte potest sursum vestigia ferre.
Praestat proinde bona in noctem statione teneri.
Sunt Animae ad dextram secreta in parte remotae:
Si libet, huc ducam: tibi erit novisse voluptas.
Quomodo! responsum fuit: anne ascendere noctu
Vis aliena vetat? vel deficit ipse viator?
Lineolam digito ducens Sordellus in ima
Pronus humo: non tu, dixit, processeris ultra
Tantillum hoc spatii, postquam Sol cessit Olympo.
Non vis ulla vetat; sed nox nigrantibus umbris
Vim cohibet, nec velle sinit: licet ire deorsum,

Donec Sol latet, ac per costas undique montis.
Tunc, quasi miratus, Vates: duc, rettulit, ergo
Quo fore tu dicis nobis consistere gratum.
Paulum hinc digressus, vidi subsidere montem
In vallem, ut solet hic etiam mons saepe cavari.
Ibimus huc, gremium rupes quo concava pandit,
Umbra ait, atque hic Eoi expectabimus ortum.
Non plano aut alto, flexo nos tramite duxit
In latus hinc montis, quo se plus deprimit ora
Dimidio. Argentum, atque aurum, cerussa, smaragdus
Cum obteritur, coccus, lucentiaque indica ligna,
Haud unquam possent varios aequare calores
Herbarum ac florum, queis terra hic picta renidet:
Valde etenim cedunt. Nec tantum gratia formae
His erat; at mixtis fragrabat odoribus aura
Ignotum in morem. *Salve Regina* canentes
Tunc Animas vidi florenti in valle sedere,
Quae foris haud cerni poterant. Nolite, priusquam
Occumbat, Sordellus ait, pars prona diei,
Ad turbam duci: tumulo ex hoc eminus alto
Illorum melius vultus cognoscere et actus,
Quam simul his ima residendo in valle, licebit
Altius ille sedens, qui se non munere functum
Quod jam debuerit, vultu monstrare videtur,
Nec cum aliis cantat, tristisque silentia servat,
Est ex Germana induperator gente Rodulfus;
Vulnera qui Italiae poterat curare peremptae,
Queis nequidquam alius quaerit mox ferre medelam.
Est alius, qui moerentem recreare videtur,
Ottacherus: rexit terras, unde exitus undis, (28)
Quas et in Albim Munda, atque Albis portat in aequor.
Hic fuit in cunis melior, quam natus adultus
Est Venceslaus, quem desidis otia vitae
Luxuriesque terunt. Nasettum cernite regem, (29)

Cui socium sese adjungit, secretaque miscet
Colloquia, is valde spectabilis ore benigno: (30)
Hic fugiens perît, et Lilî turpavit honorem.
Cernite ut ille sibi pulsat nunc pectora palmis
Utque gemens alter fulcit sua tempora dextra:
Sunt pater ac socer illius, qui Gallica regna (31)
Turpiter incestat: norunt opprobria vitae
Ipsius, ac dolor hinc oritur, qui pectora torquet,
Is vastus membris, cui concors concinit alter, (32)
Naso ingens, virtute fuit praeclarus in omni:
Et, si post illum puer obtinuisset habenas
Qui pone adsidit, virtus transmissa fuisset
Ex patre in natum: reliquis de haeredibus istud
Non est fas equidem dici: ditione potiti
Sunt Iacob Fridericusque, at meliore potitus
Nemo quidem ditione fuit: nam rara resurgit
Per ramos humana suos de stipite virtus.
Hoc Dator illius facit, ut poscatur ab ipso.
Nasutum pariter mea verba, unaque canentem
Contingunt Petrum, unde et Narbo et Apulia deflent (33)
Scilicet ipsa suo melior tam semine planta est,
Quanto plus sese Constantia conjuge jactat, (34)
Conjuge quam laetae sunt Margheris atque Beatrix.
Anglorum regem solum spectate sedentem,
Simplicis Henricum vitae: felicior iste
Edendis fuit in ramis. Demissior ille,
Qui sedet hos inter, sursum sua lumina tollens,
Marchio est Guilelmus; quem propter Alexandria
Ferratum montem, et Canavejum Marte fatigat (35)

VIII. Tempus erat, cum puppe secantibus alta, cupido
Vertitur, ac tenero mollescunt pectora sensu,
Quo die amicitia junctis dixere valete;
Cumque novus sese persentit amore viator
Adstringi, si forte sonum procul aeris acutum

Audiat, interitum lucis quod flere videtur,
Cum finem obtinuit cantus. Tum Spiritus unus
Erexit sese, atque manu audiri ipse poposcit:
Extulit hinc junctas palmas, os fixus in ortum,
Dicere ceu vellet Domino: nil caetera curo.
Ac tam deinde pie: *Te finem luminis ante*
Incepit canere, atque adeo modulamine dulci,
Ut memet mihi subriperet; reliquique sequentes
Dulciter atque pie, caelo capita alta ferentes,
Integrum cecinere hymnum Nunc dirige acutam
In verum, o lector, mentem: subtile profecto
Est ita velamen, quod sit transmittere pronum. (36)
Turbam illam vidi, pallentem humilemque, silenter
More expectantum, sustollere lumina Caelo;
Ac vidi ex alto parili descendere lapsu
Angelica de gente duo; mucrone carentem,
Igneum gestantes gladium: Viridantibus ibant
Vestibus induti, frondum de more recentum;
Quas virides retro quassabant motibus alae.
Unus nos supra paulisper constitit; alter
Ad latus adversum venit; medioque sedentes
Inclusere Animas. Flavos in vertice crines
Cernere erat; sed lux vultum spectare vetabat,
Obice ab immodico veluti vis obruta torpet.
Virginis ex gremio, dixit Sordellus, uterque
Adveniunt Mariae, sint ut custodia vallis,
Infernum propter, qui sese huc deferet, anguem.
Nescius ipse viae, per quam venisset, adhaesi,
Membra rigens, humeris Vatis; perque omnia circum
Verti oculos. Vallem jam nunc adeamus et Umbras,
Sordellus dixit: tum compellabimus illas;
Gratam erit his valde conspectum visere vestrum.
Tres tantum reor isse gradus, subterque jacentem
In vallem veni; ac quemdam mihi figere vidi

Intentos oculos, quasi me cognoscere vellet.
Jamque aer obscurus erat; non sic tamen ater
Ut non parerent nos inter quae ante latebant.
Ipse illi accessi, mihi contra accessit et ille.
Oh quam laetitiam cepi, clarissime Nine, (37)
Cum te conspexi mixtum non esse scelestis!
Non fuit officii quidquam nos inter omissum.
Dein mihi quaesivit: quam dudum istius ad imum
Venisti montis, longas transvecte per undas?
Huc ego mane novo, retuli, per Tartara veni:
Sum prima in vita, quantumvis altera eundo
Nunc mihi quaeratur: Tulerunt vestigia retro,
Hoc ubi responsum sonuit, Sordellus et alter,
Ut gens miranda perculsa ab imagine rerum,
Sordellus Vatem; Ninus se vertit ad Umbram
Hic prope sidentem, clamans: quod gratia Coeli
Dat munus, Corrade, vide. Mihi deinde locutus:
O per ego has grates, toto quas pectore debes
Olli, qui causam primam sic celat et abdit,
Ut nemo penetrare queat; cum deinde remensus
Latifluas undas fueris, meam adire Joannam
Esto memor natam: pro me dic invocet illum,
Qui insontum votis responsum haud denegat unquam.
Illius genitrix, vittas postquam exuit albas, (38)
Me, reor, haud meminit; quas nunc exoptet oportet
Infelix. Ex hac plane deprendere fas est,
Quam cito, ni tactus visusque accendat, Amoris
Femineo fax corde perit. Non Vipera certe,
Insigne Insubrum, fuerit cum functa, sepulcrum
Tale dabit, Gallus Gallurae quale dedisset. (39)
Talibus est fatus, vultum succensus amoris
His flammis, queis corda calent moderamine justo.
Ipse avida interea vertebam lumina Coelo,
Plus ubi provolvunt tardo se sidera cursu

Ul rota proximior centro. Quid, nate, tueris?
Tum mihi Doctor ait: tria, dixi, conspicor astra
Queis polus hic ardet totus. Tunc ille vicissim:
Clara sub Auroram quae sunt tibi sidera visa
Sunt quatuor lapsa: ista locum cepere relictum.
Haec fantem ad sese Sordellus traxit, et inquit,
Intendens digitum: ecce illic, hostem aspice nostrum.
Qua nullus valli est objex, subrepserat anguis,
Qualis forte Evae pomum porrexit amarum.
Per flores herbasque ibat, sibi vertice verso
Dorsum interdum lambens, ut se bellua lingens,
Non ego conspexi, nequeoque hinc dîcere primum
Alituum juvenum motum, at descendere vidi.
Sensit ubi emotas alis viridantibus auras,
Ilicet effugit serpens; pariliqne volatu
Aliger ad sedes remeavit uterque relictas.
Quae pridem Nino se adverterat Umbra vocanti,
Non unquam abstiterat mihi lumina figere; et orsa
Haec ita deinde dedit: Sic quae te ducit in altum,
Inveniat lampas tantum in te sistere cerae,
Quanta opus ad summum vincendum est denique culmen,
Si de Valle Macrae quid veri, aut parte propinqua,
Noveris, ede mihi, qui olim his dominabar in oris.
Gente Malaspina cretus, sum nomine dictus
Corradus: non ille vetus, sed origine ab illa;
Dilexique meos, hic qui purgatur, amore.
Nunquam, ego respondi, vestras sum vectus ad oras;
At quis in Europa has nescit? celeberrima vestrae
Fama domus, terramque canit terraeque potentes;
Ac nemo ignorat, quamvis nunquam iverit illuc.
Juro equidem, mihi sic celsum pervincere montem
Jam liceat, vestram non deflorescere gentem
Munificis opibus belloque potentibus armis.
Insita vis animis, ac mos, communibus illam

Efficit immunem vitiis: de tramite recto.
Quanquam triste caput mundum per devia torquet,
Unica progreditur recte, atque iter odit iniquum.
Nunc vade, ille inquit; Solem non axe reversum
Excipiet septem inde vices jam portitor Helles,
Quaeque mea de stirpe putas, tibi pectore figent
Majores clavi, quam quos dat publica fama;
Ni deducta suo fuerit sententia cursu. (40)

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER VI.

IX. Succuba Titoni antiqui, jam dulcis amici
Amplexus linquens, albebat margine Eoo:
Frons erat illius gemmis redimita coruscis.
Belluae in effigiem, cauda quae frigida pulsat: (1)
Et graduum, quibus ascendit, jam nox, ubi eramus,
Explerat geminos, aliumque explere parabat; (2)
Tunc ego, qui mecum corpus terrestre gerebam,
Sum captus somno, mollique in gramine fusus
Decubui, quo Umbris quatuor simul ipse sedebam.
Tempore, mane novo, cum questus edere hirundo
Incipit, ob veteres forsan quos passa dolores;
Ac mens nostra, minus terrestribus obsita curis,
Atque magis de carne vagans, divina creandis
Est quasi imaginibus: pennis spectabilis aureis,
Est aquila in somnis mihi visa, ex aethere pendens
Extensis alis, ac jam descendere prompta.
Illic, quo Superûm Ganymedes raptus in aulam
Deseruit comitum turbam, mihi adesse videbar.
Ajebam mecum: ex more huc se forsitan infert,
Eque locis aliis fastidit in aethera ferre.

Se paulo magis inde rotans, descendere raptim
Fulminis in morem est visa, ac me attollere ad igneos
Celorum tractus, atque hic me ignescere et ipsam;
Incendîque mihi sic membra excussit imago,
Ut sopor abruptus fuerit. Non secius olim
Excitus est somno, convertens lumina circum,
Nescius Æacides quibus in regionibus esset;
Cum mater sopitum ulnis Chironis ab antro
Portavit Scyron, unde abduxere Pelasgi;
Me velut excussi, ut somnnus mea membra reliquit;
Ac, veluti qui corde riget formidine captus,
Infeci pallore genas. Solum esse relictum
Me vidi, ac lateri mihi tantum adsistere Vatem.
Sol plusquam geminas cursûs confecerat horas,
Atque ego fulgentes spectabam marmoris undas.
Macte animi, mihi Ductor ait: vim collige, et omnem
Pelle metum: in tuto est res: purgatoria sedes
Proximat: huc vallum, quo clauditur undique, cerne;
Cerne illuc ingressum, qno scissum esse videtur.
Prima sub luce Aurorae, dum, lumina dulci
Compositus somuo, florenti in valle jaceres,
Adfuit illustris mulier; quae: Lucia, dixit,
Nuncupor; hunc sinite arripiam, dum membra sopore
Vincta gerit; facilique virum sic tramite ducam.
Sordellus mansit, simul utraque restitit Umbra;
Illaque te sumpsit, cumque aer lumine claro
Effulsit, sursum venit; sumque ipse secutus:
Hic te deposuit; pulcrisque ostendit apertum
Illum oculis aditum; mox ipsa soporque recessit.
Ut qui, primum anceps, clare tum deinde tuetur,
Conceptumque metum laeta in solatia vertit,
Cum videt amota sibi nube patescere verum;
Sic ego me verti: curisque proinde carentem
Aspicieus, Vates per clivum ascendere coepit,

Ac simul ipse sequens. Magnum mihi surgere, lector,
Cernis opus: ne mireris, si impensius ergo
Exequar, atque omnes impendam versibus artes.
Venimus ulterius: quo primum visus hiatus
Esse velut muri, portam conspeximus esse.
Cui gradibus trinis et versicoloribus itur.
Janitor hic aderat, vocem non hactenus ullam
Edens. Cum magis atque magis dein lumina fixi,
Hunc summo residere gradu, tamque ore micantem
Aspexi, ut fulgorem oculi perferre nequirent.
Ensis erat manibus, nudus, radiisque coruscis
Lumina perstringers. Quid vultis? pandite, dixit,
Neu proferte pedes: ubi dux? advertite, ne vos
Taedeat ascensus. Celestis femina, rerum
Respondit Vates, istarum callida, nuper
Ite, ait, hic est porta. Atque illa, ore benignus
Janitor est fatus, det vos feliciter ire;
Ad nostros propevate gradus. Perreximus illuc.
Ex niveo laevique prior gradus ille nitebat
Marmore, uti speculum, mea quo parebat imago:
Alter plusquam caeruleus, siccaque rudique
Ex petra; quem per longum obliquumque secabat
Rima duplex: quique hisce super se tertius addit,
Purpureus; flammans, instar manantis hianti
Sanguinis ex vena. Super hoc utrosque tenebat
Angelus ille pedes, considens limine in ipso, (3)
Quod solido ex adamante mihi splendescere visum est.
Sursum me adduxit Doctor, monuitque precari
Vultu animoque humili, vellet recludere portam.
Procubui ante pedes, aditum mihi panderet, orans
Suppliciter, palmaque prius ter pectora pulsans.
Ille meam gladii signavit cuspide frontem.
P septem; ac tales jussit detergere plagas
Intus ubi fuerim: Cineris depicta colore

Aut terrae arentis, quae sit defossa recenter,
Olli vestis erat: sub qua mox ipse latentes,
Auream atque argenteam, claves extraxit utrasque. (4)
Argentea prius, inde aurea, tum talia fecit
Portae, ut voti compos sit mea facta voluntas.
Ex his siqua errat, dein subdidit ille, seramque
Haud resta ingreditur, non haec se janua pandit.
Est pretiosior una, sed amplius altera poscit
Artis et ingenii; quippe est, quae vincula solvit.
Tradidit has Petrus; atque magis, quam claudere, jussit
Sim reserare frequens; dum gens mihi genva reflectat.
Impulit, his dictis, portam: intro pergite, dicens,
Sed revehi scitote foras, qui lumina retro (5)
Volverit. Ut versi sunt aereo cardine postes,
Is fragor increpuit, quaem nec Tarpeja Metello
Edidit avulso, cum Caesar sustulit aurum.
Ad primum adversti strepitum; dulcique sono *Te* (6)
Mixta audire *Deum laudamus* voce videbar:
Ac talis mihi concentus veniebat ad aures,
Quale, sonum in templis cum cantibus organa miscent,
Nunc prohibent, nunc verba sinunt, audire canentum

X. Ingredimur portam, prohibet quam saepe recludi
Pravus amor, blanda qui fallit imagine recti;
Atque hanc audivi magno cum murmure claudi.
Quam poteram culpae justam praetexere causam
Si respexissem? Per petram utrique cavatam
Vadimus inclusi: serpebat semita, partem
Nunc hanc nunc illam versus; velut unda propinquat
Atque fugit. Paulum, dixit tum Rector, oportet
Arte uti, hoc nunc in latus, et nunc illud, eundo.
Hoc nos tardavit; nec calle evasimus, ante
Quam Lunae pars, luce carens, remearet in aequor.
Egressi ut fuimus latebris, et in aera apertum
Venimus emersi, quo mons se colligit arctans,

Fessus ego, incertique viae consistimus ambo
Æquato in spatio, ac solo plusquam hispida terris
Semita desertis; quod tantum a rupe patebat
Ad latus exterius, quantum tria corpora sese
Protendunt hominum. Quoad usque intendere visum
Ad dextram et laevam poteram, dabat illa crepido
Undique se cerni aequalem. Vestigia nondum
Extuleram, cum praecisam, cunctisque negantem
Ascensum pedibus, candenti ex marmore rupem
Atque toreumatibus caelatam talibus esse
Aspexi, queis non tantum Pulycletus, at ipsa
Cederet omnino rerum Natura creatrix.
Angelus ille, diu venit qui nuntius olim
Optatae pacis, vetitumque reclusit Olympum,
Hic ita parebat verax, tamque ore suavi,
Ut mutum esse neges, et *Ave* illic dicere jures.
Quippe erat insculpta hic Virgo, quae, intacta pudoris,
Obvolvit clavem, aeternum ut reseraret Amorem:
Tam proprie has habitu monstrabat et ore loquelas,
Ecce ancilla Dei, impressas ut cera figuras.
Ne tantum huic vertes animum, mihi proximus adstans
Ad laevam, admonuit Vates. His vocibus actus,
Ulterius protendi oculos, aliamque propinquam,
Virginis ad tergum, stabat qua parte Magister,
Historiam vidi, caelatam cautibus ìsdem;
Quare ego transilui Vatem, ac me protinus illuc
Detuli, ut hanc oculis melius spectare liceret.
Marmore sculptus erat currusque bovesque, trahentes
Foederis hic arcam; quae nunquam munere fungi
Admonuit, cujus non sit mandata facultas.
In septem divisa choros, gens multa praeibat,
Quam canere ajebant oculi, auriculaeque negabant;
Ac periter numquid plenis fumaret acerris
Certabant oculi ac nares. Dans corpore saltus

Anteibat David, sese sic rege minorem
Majoremque gerens. Alta hunc spectabat ab aede
Indignata Michol, vesano turgida fastu.
Alteram ut historiam aspicerem, vestigia movi,
Quae Michol a tergo albebat. Mihi gloria visa
Hic est Trajani, Romani principis, Orco
Quem Gregorî abduxere preces ob maxima facta.
Ad fraenum huic vidua adstabat, turbata dolore
Ac lacrymas fundens: equitum densissima turba
Circum aderat; ventusque aquilas, quas signa gerebant
Aurea, si credas oculis, per inane movebat.
His misera in mediis tales emittere voces
Ore videbatur: Poenas te vîndice solvat,
Qui natum enecuit, cujus nunc funera ploro.
Dum redeam, maneas, ait ille. Ac femina contra,
Cui dolor adjungit stimulos: nisi forte redibis?
Qui mea sceptra geret, vindex erit, ille reponit.
Quod recte alter aget, respondit femina, quidnam
Prafuerit tibi, si proprium tu munus omittis?
Parce queri, tunc ille inquit, me munere fungi
Ante decet, quam abscedam: jus pietasque reposcunt.
Has, nova Qui nunquam vidit, dedit esse loquelas
Quas liceat captare oculis: non noscere nobis
Fas est; quippe his in terris reperire negatur.
Talibus his humilis dum mentem ac lumina pasco
Cordis imaginibus, caris ob qui edidit auctor;
Ecce hinc, mussabat Vates, (vestigia verum
Lenta movent) gentes, poterunt quae ostendere callem
Ad suprema jugi. Cupidus nova quaeque videndi
Sicut eram, ad vocem confestim lumina verti.
(Ne te proposito ex sancto, ut sibi debita solvi
Vult Deus aspiciens, lector, deterritus aufer;
Ne poenas reputes, sed enim quod deinde sequatur,
Quodque nisi usque diem poterunt durare supremum.)

Duetori hinc dixi: quod nos incedere contra
Aspicio, haud hominum formae, sed nescio quid sit:
Tantum me fallunt oculi! Teterrima poenae
Conditio sic hos ad terram, rettulit ille,
Contrahit, ut me etiam pridem decepit imago.
Tende oculos, illumque vide, qui pondere pressus
Saxorum incedit: par omnes poena coercet.
Mortales miseri, mentis quos luce carentes,
Longius a recto vesana superbia ducit,
Non nostis, nos vermes esse, ideoque creatos,
Papilio angelicus nobis ut fiat ab ipsis,
Qui volat ad summam, quo nil juvat atque tuetur,
Iustitiam? Quibus ex causis mens vestra tumescit?
Mancorum entomatum similes vos estis; ut illa
Vilia nempe insecta, quibus deest integra forma.
Quale, pavimentum tectumque ut fulciat, olim
Ponitur effigies, genibus quae pectora tangit;
Unde ab non vero verus dolor ingruit illis
Talia qui cernunt; sic vidi hos pondere pressos,
Cum mentem adverti. Gravius prout pondus inesset
Aut levius, magis atque minus contracta videbam
Corpora: quaeque magis patiens erat Umbra doloris,
Flendo videbatur fari: sum viribus expers.
XI. Summe Pater, qui regna tenes caelestia, non his
Quod sis inclusus spatiis, sed propter amorem,
Quo magis haec loca prosequeris, quae prima creasti;
Virtutem Nomenque tuum res laudibus omnis
Concelebret; tua quas sapientia summa meretur,
Persolvat grates. Ad nos se deferat ipsa
Pax regni alma tui, nostrae nam tendere ad illam
Haud possunt vires. Veluti tua jussa facessunt
Celestes acies, sic sint mortalia corda
Obsequiosa tibi. Fac nos hac nutriat esca
Quotidiana die; sine qua, sylvestre per istud

Desertum vitae, qui impensius ire laborat,
Retrorsum tendit. Sicut laedentibus ipsi
Parcimus, indulge nobis; nec respice culpas.
Contra hostem infernum, nostrum tam debile robur
Ne tentare velis; sed ab hoc defende potenter.
Non hanc pro nobis (non est modo namque necessum),
Extremam, Deus alme, precem tibi fundimus, ast îs,
Qui sunt terrenis, queis nos abscessimus, oris.
Sic, bona tum sibi tum nobis haec rite precantes,
Ponderibus subter, veluti quae insomnia praebent,
At non mole pari, purgantes quaeque tumorem,
Circum ibant Umbrae, tendit qua prima crepido.
Si bene pro nobis illic hae dicere nunquam
Absistunt, quid pro his dici fierique vicissim
Hic, ab eis poterit, quibus est bona corde voluntas?
Praebendum est his auxilium, ut detergere sordes,
Quas secum tulerunt; mundaeque ac labe carentes
Quamprimum valeant Celi conscendere sedem.
Oh sic justitia ac pietas vos ponere faxint
Confestim, quod fertis, onus, sursumque levari
In loca, quo vobis ire est accensa cupido,
Pandite, qua in parte ad scalam via ducit euntes
Promptius; et, si non una illuc semita ducit,
Qua minor ascensus; quippe hic, quem vadere mecum
Cernitis, ob, quibus induitur, terrestria membra,
Sit quamvis animo velox, est tardus eundo.
Responsum his Vatis verbis vox reddidit; at quis
Reddiderit, latuit. Nobiscum tendite, dixit,
Ad dextram, et callem, liceat quo incedere vivo,
Invenies. Et ni premeret me sarcina saxi,
Quae vultum mihi figit humi, domitatque superbam
Cervicem, hunc vivum, qui sese haud nomine pandit,
Intuerer, cernens num sit mihi notus, et istud
Ut miseretur onus. Sum claro e sanguine Thuscus,

Aldobrandesco Guilelmo ex patre creatus;
Nescio an hoc nomen vestras advenerit aures.
Nobilitas generis, praeclaraque facta meorum
Me in fastum extulerunt: communem pectore matrem
Delerunt; adeoque animi fecere superbum,
Ut mortis mihi causa fuit; Senensibus, atque
Omnibus Etrusco velut est in littore notum. (7)
Nuncupor Ombertus: nec vana superbia solum
Me dedit exitio, at consortes perdidit omnes.
Hanc nunc ipse luo, saxi sub pondere, donec
Poena satisfuerit Domino, inter corpore cassos,
Efficere id quando, cum esset mihi corpus, omisi.
Haec cum pronus humi audirem, sub pondere vultum
Paulum alius torsit: me agnovit, meque vocavit,
Ægre oculos mihi defigens, qui cernuus ibam.
Nonne es tu, dixi, Oderisius inclytus ille,
Eugubii decus, atque artis, cui a lumine ductum
Gallia dat nomen? Frater, plus, ille reponit,
Nunc rident chartae, quas Franci dextera pingit
Felsinei: nunc totus honos tribuendus eidem est,
At mihi pars etiam. Certe non ante fuissem
Tam largus, dum vivus eram; nam primus in arte
Esse ego discupii: hic luit ista superbia poenas:
Hic quoque non essem, nisi, dum delinquere possem,
Pertaesus fastum. Domino me ex corde dedissem.
Oh vanos hominum nisus! o gloria fallax!
Quomodo paulisper viridi se vertice tollit,
Ni rudis ingenioque carens successerit aetas!
Primum se Cimabos pingendi credidit arte;
Nunc primas tenet, illiusque abscurat honorem
Giottus. Sic ex Guido ad Guidum gloria linguae (8)
Transiit; ac forte est natus, qui vincet utrumque.
Non hominum fama est aliud, quam ventus et aura,
Nunc hinc, nunc illinc efflans, ac nomina mutans,

Mutat quippe latus. Quid, si longaevus obibis,
Plus tibi erit famae, quam si decesseris infans,
Jam mille aute annos? brevior quae temporis aetas
Ad spatium aeternum, quam oculi versatilis ictus
Ad cursum, sese volventis tardius, orbis.
Hic, qui procedit lentis me passibus ante,
Etruscas late complevit nomine terras;
Nunc vix mussatur Senis, quas ille regebat,
Cum cladem ingentem passa est Florentia, tantum (9)
Tunc elata animi, quantum nunc vilis et excors.
Fama hominum est viror herbarum, quibus ille colorem
Detrahit, ex terra pridem qui fecit oriri.
Cui retuli: tua verba humiles mihi pectore sensus
Insinuant, multumque adimunt ex corde tumoris.
At dic, quisnam ille est, de quo modo es ipse locutus?
Est Provenzanus, dixit, Silvanus: humique
Dat poenas repens, quod regni dira cupido
Egit, ut auderet sibimet submittere Senas:
Sic sine iit requie, atque it, postquam morte peremptus
Occubuit. Pretium sibi tale rependere sumit
Quilibet immodice, vitam cum duxerit, ausit.
Ipse autem contra: si quem sub limine vitae
Poenituit, montis radices errat ad imas,
Donec praetereunt totidem, quot vixerit, annos,
Ni pia vota juvant, cur hac in sede moratur?
Quid dedit ascensum? Cum laetis, reddidit, olim
Floreret rebus, magnoque insignis honore,
Non illum puduit, mediis se sistere Senis
Supplicis in morem, totisque tremiscere membris, (10)
Ut Siculi eriperet de carcere regis amicum.
Amplius haud dicam: novi me obscura profari;
At non multa dies ibit, veloque remoto
Haec tibi scire, tuiqne dabunt clarere propinqui: (11)
Id Provenzano dedit hanc ascendere sedem.

XII. Fronte pari, similis subter juga bobus, onusta
Ibam cum illa Anima, sivit dum vadere Doctor.
At simul is dixit: jam nunc hunc desere, et ito,
Hic opus est remis ac velo impellere lintrem,
Quantum quisque potest, me rursus, sicut eundum est,
Continuo erexi, quamvis mens flexa maneret.
Jamque pedem extuleram post Vatem, jamque patebat
Quae levitas utrique foret, cum: lumina fige,
Is mihi dixit, humi: quo incedis, cernere campum
Profuerit, relevare viae ut fastidia possis.
Quales, quae terram insternunt, imposta sepultis,
Saxa notant vultus, longum ut memorentur in aevum:
Quare hic saepe, quibus defuncti mente recurrunt,
Dant lacrymas: quae cura tenet pia pectora tantum:
Sic erat hic, circum quae extabat semita rupe,
(At meliore modo quoad artem) impressa figuris.
Parte hac ille acies inter pulcherrimus omnes
Qui fuit Angelicas, ut fulmen, ab axe ruebat.
Parte alia, grave pondus humi, Jovis igne trisulco
Tranfixus, vasta Briareús mole jacebat.
Adstabant Patri, muniti fortibus armis,
Pallasque et Mavors, nec non Thymbraeus Apollo,
Passim strata solo mirantes membra Gigantum.
Hic aderat, turrim velut exanimatus ad imam,
Nembrotus; gentes, opus edificare superbum
Respiciens ausas. Quam moestis, Tantalis, inter
Bis septem occisos natos, te tramite in ipso
Vidi oculis sculptam! Ut proprio transfixus in ense
Exanimisque, Saul, in Gelboe monte jacebas!
Quem non deinde imber, nec rorida gutta rigavit.
Et tu visa mihi, in lacera quasi aranea tela,
Jamque dolens operis, male quod, stultissima Arachne,
Condere coepisti. Non his, Roboame, minaris;
At fugis, invectus curru, formidine captus.

Hic velut Alchmaeon Eriphylen pendere poenas
Fatalis dederit torquis monstrabat imago. (12)
Monstrabat velut in templo confossus ab ipsis
Seunacherib natis fuit, atque relictus ibidem.
Monstrabat Ciri interitum, clademque cruentam,
Cum caeso Tamiris ait: quem immane sitisti,
Sanguine te repleo. Assyrios, Holopherne perempto,
Monstrabat bello profugos, pariterque ruinae
Relliquias tristes. Trojam in spelae videbam
Ac cineres versam: proh quam vilem atque subactam
Urbs Priami praeclara, hic te ostandebat imago!
Ecquis Apellaea tam doctus in arte, styloque
Phydiaco insignis, tractusque umbrasque referret,
Quas ibi et ingenium demiraretur acutum?
Mortua functorum, vivorum corpora viva
Cernere prorsus erat, quasi mors ac vita fuisset.
Qui vidit verum, haud melius me is vidit id ipsum (13)
Quod pedibus tum calcavi, dum cernuus ivi.
Vade age, tolle caput, vultuque incede superbo,
Progenies Ævae: flectas cave lumina terrae,
Ne pravum videas, quo fers vestigia, callem. —
Plusquam animus, varia detentus imagine rerum,
Crederet, emensi gyrum jam montis eramus
Solarisque viae, cum qui vigilante praeibat
Semper sollicitus cura: caput erige, dixit,
Non est jam tempus suspenso vadere gressu;
Aligerum juvenem nos aspice adire parantem,
Ac sextam ancillam famulatum explesse diei:
Gestibus obsequium submissoque indue vultu,
Ducere ne sursum pigeat; neve immemor esto,
Hanc nunquam inde diem, fuerit cum lapsa, reverti.
His monitis jam suetus eram; nec proinde latere
Me sermo hic poterat. Nos Angelus ille petebat
Vestibus in niveis, ac taliter ore renidens,

Ut matutinum praefulgens aethere sidus.
Explicuit geminas alas, et brachia pandit,
Atque, venite, inquit: non longe est semita: jam nunc
Est equidem ascensus facilis. Gens rara vocatus
Hos sequitur: cur vel tenuis te deprimit aura,
O genus humanum, sursum volitare creatum?
Haec ait, ac nos adduxit, quo secta gradatim
Ascendit rupes. Alis mihi deinde coruscis
Percussit frontem: atque viam promisit eunti
Jam tutam. Velut ad dextram pergentibus altum
In montem, ad templum, celsa quod fronte superstat
Recte ductam (14) urbem, transmisso tramite pontis.
Frangitur ascensus gradibus, quos condidit aetas,
Quae modium et scriptum haudquaquam corrumpere norat; (15)
Sic sese emollit, quae ex gyro ripa secundo
Ardua descendit; cautes at radit utrinque.
Felices humiles animo, dum volvimur illuc,
Cantabant voces, nullus quas sermo referret.
Oh quantum distat sedes ingressus in istas
Ditis ab ingressu! hic dulcis modulamina cantus,
Excipiunt; illic lamenta horrenda doloris.
Per sanctos nos ire gradus incepimus; atque
Ire mihi levior, quam per planum ante, videbar.
Quare ego Ductori versus: quae sarcina, dixi,
Est ablata mihi, ut quasi nil nunc ire laborem?
Cum P, ait, reliqui, qui nunc tibi pene supersunt
Extincti, abrasi fuerint, tibi recta cupido
Urgebit sic ipsa pedes, ut blanda voluptas
His erit impelli. Veluti qui vertice quidquam
Nescius impositum gestat, nutuque videntum
Admonitus, digitis explorat; quodque requirit,
Invenit, atque manus, nequeunt quod lumina, praestat;
Sic, ego contrectans elato pollice frontem,
Aligeri primam signatam cuspide, novi

Defecisse notam. Subrisit proinde Magister.
XIII. Ad summum scalae pervenimus, altera montem
Orbita ubi resecat, mala qui ascendentibus aufert.
Hic etiam, ut prima, at gyro breviore, crepido
Praecingit montem. Non ulla hic Umbra, nec ullum
Apparet signum: rupes ac semita nudas
Ostendunt sese, ex petrae livente colore.
Hic, si ut scitemtur, gentem expectare liberet,
Dux inquit, vereor nimium ne forte moremur.
Haec ait, atque oculos fixit super aethera Soli;
Hinc, latere ex dextro in laevum vertigine facta,
Jucundum o lumen, dixit, cui fisus inire
Aggredior novum iter, tali nos lumine, quaeso,
Ut decet hic, deduc: tu lustras undique mundum,
Atque calore foves: et, ni contraria causa
Impediat, semper debes tu ducere euntes.
Tempore jamque brevi (stimulos dat quippe cupido)
Illic mensi iter, hic passus quod mille vocatur,
Nos versum, haud visas, volitare audivimus Umbras,
Effantes, et amoris mensam adiisse monentes.
Deest epulis vinum, alta inquit vox prima volando,
Post nos ingeminans. Cumque illa per intervallum
Omnino audiri nondum desiverit absens,
Altera praeteriens pariter: *sum,* dixit, *Orertes.*
Quare ego: quae voces? quae sunt haec verba, Magister?
Inqui. Vix haec fatus eram, cum tertia dixit:
Diligite osores. Vates tum talibus orsus:
Plectitur invidiae hic labes; ac proinde flagellum
Funiculis constat, qui mutuo amore struuntur;
Trudere nam vitium debet contraria virtus.
Quod, reor, audibis, me demonstrante, priusquam
Te locus accipiet (16) veniae. Sed lumina tende
Longius, ac Umbras nos ante adsidere cernes:
Ad cautem stat quaeque sedens. Intensius illuc

Lumina direxi, ac tectas liventibus Umbras
Vestibus, ut rupis liventia marmora, vidi.
Ac, postquam ulterius veni; resonavit ad aures
O *Maria, o Michael, Petre, et omnes astra tenentes,*
Pro nobis orate Deum. Tam pectore durum
Non ullum esse reor, cui non dolor ingruat acer,
Si videat, quod ego hic vidi. Cum namque propinquus
His tantum adstiterim, ut vultus deprendere possem,
Flere dedit me ingens pietas. His membra tegebat
Saccus contextus setis; humerisque vicissim
Quisque erat alterius nixus, et cautibus omnes.
Sic inopes sistunt ad templa frequentia caeci,
Auxilium orantes: quorum caput unus in alterum
Exerit acclinans, non tantum ut voce petentis,
Verum etiam adspectu moveantur corda meantum.
Ac veluti caecis nequidquam spicula lucis
Immittit Sol, sic Celi se nulla videndam
Lux dabat his Umbris; nam ferrea fila suebant
Cuique oculos, quo more solent his lumina claudi
Vulturibus, certa renuunt qui sede quiesse.
Ipse videre alios, aliis nec posse videri
Haud contentus eram; mihi namque injuria visa est.
Conversus sum proinde Duci. Non ille rogari
A me expectavit: scibat quid mutus averet:
Atque ait: eloquere, ac brevis argutusque profare.
Virgilius ripae, gradiens, extrema tenebat,
Unde rui poterat; nam nulla repagula claudunt.
Parte alia stabant Umbrae; quibus ora rigabant
Suturam ob diram lacrymae. O gens certa videre,
His versus dixi, quod tantum vestra cupido
Lumen avet, sic, quotquot habet conscientia vestra,
Gratia promptim abigat sordes, ut proinde per ipsam
Clarus eat mentis fluvius (17), mihi dicite sodes,
(Valde erit acceptum et gratum) quis numne Latinus

Hic adsit: quod eum discam, illum forte juvabit.
Mi frater, verae mortalis quilibet Urbis
Est civis: sed numne Italis peregrinus in oris
Qui fuerit, quaeris? Vox paulum ex parte remota
Insonuit: propereque illuc sum gressus; et Umbra
Visa mihi eloquium sublato poscere vultu,
Ut mos est caecis: O qui cruciaris, ut alte
Ascendas, inqui, mihi si responsa dedisti,
Dic patriam aut nomen. Retulit: me Sena creavit;
Cumque istis commissa luo, illum fletibus orans,
Qui sibi nos jungat. Quamvis dixere Sapiam
Nomine, non me ideo sapientem rere fuisse.
Sum magis alterius rebus tristata secundis,
Quam gavisa meis. Ne falsnm dicere credas,
Audi; quamque mihi fuerit mens laeva, videto.
Cum mea devexa in senium jam vergeret aetas,
Atque mei cives prope Collem castra tenerent,
Hostibus adversi, Domino tum vota ferebam,
Ut fieret, quod is effecit. Rupto agmine, amaram
Corripuere fugam: disjectas ipsa catervas
Aspîciens, adeo concepi gaudia corde,
Ut, nunquam sic laeta fui; vultuque protervo
Sursum versa Deo, nil te jam deinde timebo,
Sum fata, ut merula exiguo confisa sereno.
Reddere me Domino volui sub limine vitae;
Ac nondum explessem, quas debeo solvere, poenas,
Ni memor inde mihi, dum fert pia vota, tulisset
Pettinagnus opem, pietas quem plurima movit.
At, tu, qui casus alienos discere curas,
Nec consuta geris, nisi fallor, lumina, et efflas
Dum loqueris, quis es? Hic, inqui, sed tempore parvo,
Olim ero consutis oculis; nam vertere raro
Hos fui ab invidia impulsus. Formidine terret
Me multo majore, gravat quae poena deorsum;

Usque adeo, ut videor jam nunc sub pondere pressus.
Quis te ergo huc traxit, si, rettulit illa, deorsum
Dein remanere putas? Hic, qui mihi proximus adstat,
Atque silet, dixi: sum vivus, et aethere vescor.
Quare age, dic quidnam in terras vis ipsa referri.
Res nova, respondit: patet hinc tibi multa benignum
Esse Deum: pro me ergo preces iterare memento:
Perque id te exoro, quod tu super omnia quaeris,
Si Thuscas ieris terras, mihi reddere famam
Hic apud affines. Illos gentem inter inanem
Invenies, quam spe, non secius atque Diana,
Eludit Telamon: majori at clade prementur,
Imperitare viri celsis qui puppibus optant. (18)
XIV. Quisnam hic, per nostrum qui fert vestigia montem
Nondum morte obita? qui lumina sponte suapte
Obserat et pandit? Quisnam sit nescio, vero
Non solum esse scio: tu, qui mage proximus illi es,
Id rogita; atque modis, ut disserat, excipe blandis.
Sic geminae ad dextram de me acclini ore vicissim
Ajebant Umbrae: vultum hinc fecere supinum,
Ut mihi dicta darent; atque una est talibus orsa.
O anima, humani quae nondum corporis expers
Is Celum versus, nobis solatia praebe,
Dic quaeso unde venis, quisnam es: mirabile tantum
Es nobis, quantum quae res non extitit unquam.
Lene fluens, mediis ex cautibus Appennini,
Tunc ego sum fatus, per millia multa volutus,
It nitidus fluvius, Thuscasque intersecat oras.
Hinc ego devenio: nomen nil promere refert,
Nam parum adhuc resonat. Si rem, prius Umbra locuta
Respondit, teneo, vis Arnum dicere. At: amnis
Cur nomen siluit, dixit tum affata propinquam
Altera, quale rei, quae non sit grata loquenti?
Nescio: sed dignum ut pereat, ait Umbra rogata,

Fluminis est hujus nomen: nam ab origine prima,
Qua sic assurgit mons, scinditur unde Pelorus,
Ut paucis se deinde locis magis erigat, usque
Quo redit, ut pelago instauret, quod subripit aether
Unde trahunt fluvii, secum quod in aequora volvunt,
Undique sic virtus fugitur, velut horridus auguis.
Sive loci vitio, pravo seu more colentum,
Sic naturam hujus vertit gens incola vallis,
Ut credas illi Circen alimenta dedissse.
Inter namque sues it primum parcior amnis,
Glande magis dignos, hominum quam vescier esca.
Invenit hinc catulos, ultra queis ringere vires
Mos est; atque ideo, indignatus, ab hisce recedit.
Ulterius tendens, quanto fit ditior undis,
Ex catulis tanto plures nanciscitur aspros
Deinde lupos fieri. Labens mox gurgite major,
Tam vafras reperit vulpes, ut prendere nullum (19)
Has queat ingenium. Nec quod me sentiat alter (20)
Dicere destiterim: quin hunc exinde juvabit
Id meminisse, mihi verax quod spiritus edit.
Fluminis in ripa, ipse tuo de sanguine cretum (21)
Hos captare lupos video, atque implere timore:
Vivos hos vendit, senis hinc bovis enecat instar: (22)
Exuit et vita multos, ac semet honore:
Sanquineus silva egreditur, talemque relinquit, (23)
Ut nequeat post mille annos in pristina reddi. —
Ut dolet auditor, siquis fortasse futuros
Nuntiet eventus tristes, commotaque turbat
Ora metu, quacumque instet de parte periclum;
Tristitiam his sic auditis Umbra altera vultu
Induit. Istius dolor, ejusque aspera dicta,
Egere ut cuperem utriusque agnoscere nomen,
Ac prece commixta hoc petii. Qui Spiritus ante
Effatus mihi jam fuerat, sic rettulit orsa:

Vis ut in id veniam, quod tu praestare recusas;
At quia Rex Caeli sinit ut sua gratia tantum
Exeret in te fulgorem, non dicere parcam.
Guidus ego Del-Duca sum: mihi corda venenum
Imbuit invidiae: siquem gaudere videbam,
Tu mea vidisses livoribus ora notari.
Haec mihi nunc metitur tali de semine fruges.
Cur, genus humanum, rebus cor ponis in illis,
In quibus ut consors potiundis desit oportet?
Hic est Calbolidum Rinierus gloria gentis,
Nullus ubi est hujus vestigia clara secutus.
Nec tantum istius genus, inter marmoris aequor
Rhenumque atque Padum et montem, est his omnibus expers,
Queis opus ad vitam est recte pulcreque gerendam:
Finibus his regio sic late est stirpibus omnis (24)
Plena veneniferis, ut vix jam tempore longo
Deticiant, licet ingeminet cultura labores.
Nunc ubinam et Litius bonus, Henricusque Manardus,
Et Traversarus Petrus, et de gente creatus
Guidus Carpinea? O virtutem oblita vetustam,
Gens Romandiolae! quando vel Felsina Fabrum
Praestantem renovat, vel clara Faventia Foscum?
Foscum vulgaris germen praenobile trunci?
Ne, Thusce, obstupeas me fletibus ora rigare,
Cum mihi succurrit menti lux inclyta Pratae
Guidus, et Attiades nostris qui vixit in oris,
Ugolinus, Tignosus Fridericus, et hujus
Lecta cohors, et Traversara, atque Anastagi,
Quorum non ullus laudis nunc provenit haeres.
Cum muliebre genus mihi mente equitesqne recurrunt,
Commodaque et curas, quas large adhibere solebant
Comiter eque animo, quo sunt nunc improba corda.
O fuge, Brettinorum, cum, quae tua fraena regebat,
Abscessit domus, atque simul gens multa migravit,

Improba ne fieret, Felix tu prole negata
Es, Gabeum. Infelix vero Coniumque magisque
Salsubium, Comites curant qui gignere tales.
Paganis bene succedet, cum Daemon abibit; (25)
Non adeo tamen, illorum sit ut integra fama.
Nominis es tutus, cui spes est nulla ferendae,
Fantoliniade, prolis; nam degener ullus (26)
Non erit, hoc qui dedecoret. Sed, Thusce, facessas;
Nam, plusquam fari, cupidus sum fundere fletus.
Nostra etenim regio valde mihi pectora movit. —
Non erat ignotum nobis, haurire meantum
Auribus has Animas sonitum. Cum proinde silerent,
Tendere nos recto rebamur tramite gressus.
Cum fuimus per iter soli, tum, fulguris instar,
Aëra cum rapide scindit, vox obvia venit;
Me perimet, dicens, *quisquis deprendet;* et ibat
Effugiens, tanquam tonitru per inane volutans,
Cum subito elisis prorumpit nubibus ignis.
Desiit haec vix audiri, subit altera, et ipsa
Assimilis tonitru: *sum Aglauros, versa rigentem* (27)
In lapidem, clamans. Subita formidine captus,
Ut Vati haererem, retro vestigia traxi.
Vocibus elapsis aer cum deinde quievit,
Haec sunt, ille inquit, cohibendis apta protervis
Fraena cupidinibus; sed vos apprenditis escam,
Atque ideo antiqui vos hamus pertrahit hostis,
Nec monitus aut fraena valent obsistere contra.
Sidereus Caeli, qui circumvolvitur, orbis
Vos vocat, ac sua dat vobis decora alta videre;
Vos autem aspicitis terram, justisque merentes
Propterea poenis, qui perspicit omnia, plectit.

XV. Quantum tertia ab hora Eoae lucis ad ortum
Apparet sphaerae, pueri quae ludit ad instar,
Occiduis tantum Sol tum distabat ab oris:

Illic vesper erat, medium hic nox alta tenebat.
Sol mediam nobis feriebat lumine frontem,
(Nam sic circuimus montem, ut jam cernere tractus
Fas erat occiduos), mihi cum percellere lucem
Persensi majorem oculos; valdeque stupebam
Non mihi visa prius; manibus tum proinde levatis,
Ipse supercilio digitis umbracula feci,
Quae nimiam lucem tenuant, radiosque retundunt.
Sicut ubi e speculo aut unda versatile lumen
In partem oppositam resilit, quo labitur, ipso
Assurgens exinde modo; tantumque cadentis
A lapidis casu distat, non dispare tractu,
Quomodo dant artes atque experientia nosse;
Sic ego refracta visus sum luce feriri,
Quam mea continuo fugerunt lumina; et ipse,
Conversus Vati: quidnam, pater optime, dixi,
Est illud, cui non oculos intendere fixos
Eraleo, ac nos versus sese ferre videtur?
Ne stupeas, si caelestes tibi luce Ministri
Perstringunt etiamnum oculos, mihi reddidit ille;
Nuntius est hic, invitans ascendere montem.
Iam prope tempus erit, cum talia cernere rerum
Non tibi erit grave, sed gratum, quam scilicet ipsis
Naturae fueris sentire ex viribus aptus.
Aliger, ut propius venit: succedite, laetus
Ore inquit, gradibus, qua se via mollius offert. —
Dum sursum gradimur, nobis post terga canebant
Felices, quibus est pietas; et gaudia captent
Te quoque, qui vincis (28). Dum soli, ipse atque Magister,
Progredimur, volvebam animo non segniter horas
Ducere, at ex verbis doctrinam haurire Magistri.
Quare ego quaesivi: voluit quid dicere Guidus
Cum dixit: consors ut desit oportet? Et ille:
Peccatum ille suum pejus quantum intulit ipsi

Agnoscit cladem; atque hortatur proinde caveri.
Cum res vos cupitis, quarum si possidet alter
Quamtamvis partem, vobis minuatur oportet,
Invidia hinc oritur. Bona si caelestia tantum
Cordi esent, non haec vos livida cura teneret:
Nam quantum est illic proprium, tam ditior unus -
quisque est, atque magis coujungit mutuus ardor.
Sum minus expletus, quam si non ante rogassem,
Dixi ego; mens mea nunc dubiis majoribus haeret:
Quomodo namque bonis, quae distribuuntur habenda,
Multi quam pauci magis his ditescere possunt?
Quandoquidem rebus mentem terrestribus, inquit
Ille mihi, intendis, tenebras ex luce revellis.
Quod Caelo est Bonum inenarrabile et infinitum,
Ut nitidum ad corpus radius, sic tendit amantis
Ad cor; dat tantum ardoris, quantum invenit illic.
Quantum ergo augetur charitas, augetur ibidem
Et vis ipsa Boni; et quanto plus gentis in illud
Intendit, tanto fit copia major amoris;
Inque vicem flammas corda, ut specularia, reddunt.
Ni mea te exsaturat ratio, cum visa Beatrix
Deinde tibi fuerit, penitus te rite docebit
Quidquid scire cupis. Cura nunc vulnera quinque,
Ut duo, deleri; quae sunt slaudenda dolore.
Cum, satis ipse facis, jam respondere parabam,
In gyrum sublatum alium, me sistere sensi;
Et, cupidi spectare, oculi fecere silentem.
Nam subito raptu mihi mens emota, videre
Exhibuit templi faciem cum gente frequenti.
Limine erat mulier, materno dulciter actu
Visa loqui; curnam, fili carissime, nobis
Talia fecisti? ecce pater materque dolentes
Te quaerebamus. Vix haec est fata, recessit
Quod visum ante fuit: mulierque apparuit altera,

Imbribus ora rigans, quos ira dolorque profundunt:
Si regis hanc urbem, cujus de nomine tantum
Certavere Dii, omnisque unde scientia manat,
Ajebat, meritis, conjux, ulciscere poenis,
Qui nostram amplecti est natam temerarius ausus.
Reddere cui placido est visus Pisistratus ore:
Osori quidnam facies, si plectis amantem?
Dein gentem iratam saxorum grandine vidi
Impetere innocuum juvenem, seseque cruentam
In caedem hortari; atque illum procumbere terrae
Semianimum, ac Celum inspicere, veniamque precari
Hostibus aspectu, pietas quo multa cietur.
Cum mea mens extra rediit, verasque revisit
Res foris, haud falsus tunc est mihi cognitus error. (29)
Me Dux aspiciens, veluti qui vinctus inerti
Exuitur somno: tua cur vestigia, dixit
Fluxa labant? quid habes? plus quinquagintaque passus
Ac mille isti, oculis clausis pedibusque plicatis,
Ut somno vinoque gravis. Pater optime, si me,
Inqui, audire velis, mihi quod comparuit, edam,
Unde pedes vis destituit. Velamina centum
Os tibi si tegerent, possent me nulla latere,
Parva licet, quae mente geris. Sunt talia porro
Visa tibi, ne pacis aquis tua corda recuses (30)
Pandere, ab aeterno manant quae fonte perennes.
Non ego ad id petii, quod vult qui conspicit illis
Luminibus, quae post mortem nil cernere possunt;
At vim ut sufficerem pedibus. Sic addere lentis
Est opus ac pigris stimulos; ut munia praestent. —
Vespere jam facto, tendentes lumina longe
Quam poterant, imus qua Sol jam pene cadebat.
Ecce autem sensim, nos versus, surgere fumus
Ut nox obscurus; nec erat quo exire liceret:
Hic visum eripuit nobis atque aera purum.

XVI. Horrida nigrities Erebi, noctisque carentis
Undique sideribus cunctis, sub paupere Coelo,
Nubibus ut potuit septae, mihi lumina nunquam
Occuluit tantum, nec contigit aspera sensus,
Ille velut fumus, quem non potuere patentes
Ferre oculi; atque ideo mihi Dux catus atque fidelis
Praebuit accedens humerum. Ceu lumine cassus
Ductorem sequitur, ne tramite devius erret,
Impetat aut aliquid, quod damnum possit eunti
Inferre aut letum; non secins ipse sequebar
Tunc per amarum fumum foedumque aera Vatem;
Hortantem auscultans, ne abjungerer, atque caverem:
Audibam voces: pacem veniamque precari
Quaeque videbatur, qui crimina delet, ab Agno;
Atque *Dei Agnus* erant illarum exordia: cunctis
Unus erat modus, ac verbum simul omnibus unum:
Cuncta pares, cunctis plena his coucordia. Numquid
Vox haec Spiritum? dixi. Contraque Magister:
Vera putas; nodum, quo vinxerit ira, resolvunt.
Pande, quis es? dixit nostras vox reddita ad ures,
Qui nostrum gradiens proscindis corpore fumum,
Atque ita de nobis, ut si metere calendis
Tempora, proloqueris. Responsum redde, Magister
Ac pete, tum dixit, num sursum hinc semita ducat.
O qui te mundas, redeans ut pulcher ad illum,
Ipse inqui, qui te fecit, mirabile disces,
Si mihi te socias. Me quatenus ire licebit,
Te sequar, ille ait; ac, si fumus denegat ater
Alterno ore frui, jungent nos mutua verba.
Vestibus indutus, coepi tunc ipse profari,
Quas mors dissolvit, sum regna per infera vectus,
Atque eo nunc sursum. Tanto si diva favore
Gratia me impertit, celestem Numinis aulam
Ut more insueto adveniam, dic quaeso, quis olim

In terris fueris; die et quae semita ducit
Ad montem; velutique ducis tua verba sequemur.
Nomine sum Marcus, Lombardo sanguine cretus, (31)
Rettulit: egregias artes, despectaque cunctis
Nunc studia excolui: recto te tramite defers,
Ut montem ascendas. Pro me, cum veneris illuc,
Funde preces, oro. Faciam quod tute requiris,
Dixi ego: sit tibi certa fides. Sed viscera rumpor,
Ni mihi dissuitur dubium, quod, cum ante fuisset
Simplex, nunc factum est duplex: quae namque profaris,
Spiritus est alter fatus: nunc utraque jungo.
Est omni virtute carens late undique mundus,
Quomodo tu memoras, vitioque involvitur omni?
At, rogo, me causam doceas, ut noscere et ipse
Atque aliis aperire queam: est sententia duplex;
Altera nam terris hanc ponit, et altera Coelo.
Is prius ex alto traxit suspiria corde,
Atque ita mox dixit: densa caligine septus
Est mundus, tuque inde venis: caelestibus astris
Gens hominum rerum successus imputat omnes,
Tanquam si secum rapiant, faciantque necessum.
Si foret hoc autem, foret et destructa facultas
Libera tum mentis; nec praemia reddere justum
Virtuti, aut esset culpis infligere poenas.
Incohat humanos motus, non attamen omnes,
Coelorum influxus; sed lux secernere vobis
Est data triste bono, atque facultas libera mentis;
Quae, primum coelo pugnans, si invicta laboret,
Ac bene se dapibus nutrit, dehinc omnia vincit.
(*) Vos melior natura regit, sed sponte gerentes:
Haec mentem condit, quae non influxibus unquam
Subdita Coelorum est. Ideo, si ex tramite recto
Praesens digreditur mundus, ne quaerite causam

(*) *Deus*

Exterius; sed quisque suo sub corde requirat.
Hoc tibi nunc pandam. Pueri de more tenelli
Risumque fletunque edentis, spiritus exit
Artificis manibus; quam fiat, eum ante tuentis.
Nescius is rerum, laeto ex factore profectus,
Sponte ad eum redit, illi qui solatia praebet.
Terreni inde boni incipiens gustare saporem,
Decipitur; sequiturque malum, quod profore credit,
Ni dux aut fraenum illius detotquet amorem.
Legibus hinc opus est, est et rectore necessum,
Verae urbis valeat saltem qui cernere turrim.
Sunt leges; at quis sequitur? quis et utitur illis?
Nemo quidem: ante etenim qui fert vestigia Pastor,
Ruminat ille quidem, diffissa sed ungula deest: (32)
Gens igitur, bona, queis inhiat, perquirere cernens
Rectorem ipsa suum, haec sequitur, nil caetera curans.
Non ex natura, quod sit vitiata, scelestus
Est mundus: pravum hunc regimen corrumpere constat.
Quae dabat integros olim splendescere mores,
Roma duos Soles habuit, mundique Deique
Monstrarent qui rite viam. Nunc unus ab altero
Extinctus periit: gladius coiere pedumque;
Ac male propterea fungantur munere oportet;
Namque, simul junctos, illos non ulla refraenat
Mutua formido alterius. Spicam aspice, dictis
Credere si nescis: ex semine noscitur herba.
Quas Padus atque Athesis perfundunt flumine, terris
Virtutem ac pulcros mores reperire licebat,
Jurgia cum nondum ac litem Fridericus haberet;
Nunc tutus transire potest, qui obstante pudore
Ingenuis rectisque viris occurrere nolit.
Tres superant uni, quorum virtute recentem
Arguit antiqua aetatem: nimiumque videtur
His cessare Deum ad meliorem ducere vitam.

Nempe et Corradus, quo Brixia gaudet alumno,
Gherardusque bonus, Reggensis et incola Guidus,
A Gallis dictus Lombardus nomine simplex.
Dic age, quod duplex quoniam conjuncta potestas
Est illi, in coenum cadit, et se Roma suumque
Turpat onus. — Verum, retuli, mi Marce, profaris:
Nunc video cur Leviadis tellure potiri
Non est lege datum. Sed quis tibi dicitur acti
Exemplum in nostri Gherardus dedecus aevi?
Me tuus aut sermo fallit, tum rettulit ille,
Aut tentat; nam, cum Thusca tu voce loquaris,
Nil scis de Gherardo: alio non nomine novi,
Ni sumam illius prognatae ex sanguine Gajae.
Vos Deus usque juvet: vobiscum haud amplius ibo:
Aspice per fumum jam nunc albescere lucem:
Hinc me propterea discedere oportet: ibidem
Angelus est etenim, mihi quem spectare vetatur.
Haec ait; ac, me audire negans, vestigia vertit.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER VII.

XVII. Esto memor, lector, (gelidas si forte per Alpes
Te nebula obtexit, per quam res ipse videres,
Non secus atque solent pellis per tegmina talpae)
Ut Solis, cum congeries condensa vaporum
Æthere rarescit, lux aurea trajicit illos:
Ex hoc percipies, ac viva occurret imago,
Quomodo tunc Solem, labentem ex axe, revisi.
Sic, mea Ductoris vestigia passibus aequans,
Egressus fumo, ad radios, quibus ima carebant
Jam loca, deveni. Oh fixae vis vivida mentis,
Sic hominem tibi devincis, ut classica mille
Eripere aud valeant sonitu. Quo actore moveris,
Si tibi nil offert sensus? Lux, aethere missa,
Te movet, ex sese, aut mittentis numine. Primum
Illius, in volucrem versae, quam cantibus auras
Plus implere juvat, menti se ostendit imago.
Atque ita defixit, nullas admittere formas
Ut posset aliunde datas. Sese obtulit ore
Quidam deinde truci, cruce fixus, ibique peremptus:
Magnus circum erat Assuerus, formosaque conjux,

Et Mardocheus, verbisque ac integer actis.
Cumque haec, assimilis bullae, cui deficit unda,
Ex qua facta cadente tumet, se abrupit imago,
Paruit illacrymans virgo: cur, flebilis ajens,
Ira egit te, cara parens, abrumpere vitam?
Quaesisti mortem, nolens amittere natam,
Et natam amittis: te te Lavinia ploro,
Teque priusque tuum, alterius quam funus acerbum.
Ut sopor excutitur, cum lux inopina repente
Perstringit vultum, titubatque, ac deinde recedit;
Sic mea mens, longe majori lumine, quam quod
Usibus inservit nostris, percussa figuras
Expulit exceptas. Ut qua essem in sede viderem
Tunc ego vertebar, cum vox: hic scanditur, ajens,
Me visu omni alio eripuit, pariterque videndi
Quis foret hoc fatus mihi talem induxit amorem,
Qui, nisi quod puaerit reperit, requiescere nescit.
At, ceu Sol aciem pervincit lumine nostram
Immodico, mea sic virtus cedebat ibidem.
Ac Doctor mihi tunc dixit: qui luce videri
Se negat ipse sua, divinae est nuntius aulae:
Sponte viam ostendit: nobis sese exhibet ille,
Ut vir quisque sibi; quisquis nam cernit egentem,
Expectatque preces, jam se dat nosse negantem.
Acceleremus iter, quo nos vocat ille benignus;
Atque prius sursum, quam nocte involvimur atra,
Vadere nitemur; nam deinde haud ire liceret
Donec mane novo lux ex Oriente revertat.
Dixit; et ad scalam gradientes venimus ambo;
Vixque gradum attigeram primum, cum concita pennis
Aura meam afflavit frontem, ac vox venit ad aures:
Felix, cui pax est cordi, et mala deficit ira. —
Iam, quos nox sequitur, tantum nos desuper alte
Surgebant radii, ut caelo passim astra viderem.

Tunc ego, qui pedibus fessis absistere vires
Persensi: cur me, mea virtus, deseris? inqui.
Venimus ad scalae summum, et consistimus illic,
Non secus ac navis, quae littoris attigit oram.
Cum paulum adverti, num quidquam in sedibus illis
Audirem, versus Vati: pater optime, dixi,
Quae culpa hic luitur? ne, si vestigia sistunt,
Sistat item sermo. Plenus cui deficit ardor
Muneris explendi, locus hic dat pendere poenas;
Hic male tardatus punitur in aequore remus.
Ille ait. Ut melius valeas hoc cernere, mentem
Adde mihi; eque mora poteris sic ferre juvamen.
Nullus amore caret, non res, non ipse Creator:
Est ex natura aut animo: tu talia nosti.
Quem natura creat, prorsum est erroribus expers;
Ast alter peccare potest, vel prava secutus,
Sive parum nimiumve vigens. Cum caelica tendit
In bona, cumque in terrenis se temperat ipsum,
Esse nequit causa, ex qua oriatur prava voluptas.
In mala cum vero tendit, curave minori
Aut majori, quam par sit, bona quaerit, in ipsum
Factorem tunc ille gerit. Deprendere porro
Inde potes, quod amor vobis probitatis origo est
Nequitiaeque simul. Cum quisque salutis amator
Sit propriae, haud odium inde suum res ulla veretur;
Cumque Deo abjungi, ac per se ipsum existere nemo
Evaleat, nulli est ideo hunc odisse facultas;
Restat proinde malum in similes, nisi fallor, amari:
Trinis nempe modis. Est qui, si forte propinquus
Oppressus fuerit, sperat grandescere, et optat
Prapterea huic cladem. Timet ille amittere honorem,
Rem, famam, et vulgi auram, si se erexerit alter,
Quare animo dolet, atque fovet contraria vota.
Est qui vindictam, propter quae injuria quondam

Illata est ipsi, cupit inflammatus ab ira;
Atque hic alterius damnum meditetur oportet.
Iste triformis amor luitur tribus orbibus hisce,
Quos sumus emensi. Alium nunc dicere praestat,
Qui nempe in bona, non quali decet ordine, tendit.
Quisque bonum obscure apprendit, quo corda quietem
Inveniant: hoc et cupit, atque adquirere curat.
Si quem lentus amor seu quaerere sive videre
Hoc adigit, pertaesum culpae hic poena fatigat.
Est et deinde bonum, quod non facit esse beatos:
Non hoc prosperitas, non hoc essentia porro
Est bona, cunctorum fructus radixque bonorum:
Hoc nimius qui poscit amor, tribus hisce supernis
Orbibus eluitur. Sileo se quomodo trinas
Dividat in species, ut tu tecum ipse requiras.
XVIII. Finierat Vates, atque in me fixa tenebat
Lumina, perspiciens, numquid verba ore probarem.
Atque ego, cui nondum discendi cesserat ardor,
Haerebam tacitus labiis, sed pectore mecum:
Forte illum, ajebam, nimium me poscere taedet.
At Pater, advertens me promere verba vereri,
Ipse, loquendo, animum mihi praebuit inde loquendi.
Quare ego tum dixi: mihi sic, dilecte Magister,
Illustras mentem, ut, quae disseris, omnia cernam:
Ergo age, te precor, edoceas, pravique bonique
Quomodo fons sit amor. Mentem mihi dirige acutam
Ille ait; ac tibi nosse dabo, quam detinet error,
Qui voluere aliis sese praebere magistros.
Natus amare animus, ad res est mobilis omnes,
Quae gratae obveniunt, ubi ad actum blanda voluptas
Excierit: verae inde rei mens vestra receptat
Effigiem, atque illam vobis simul explicat intus;
Unde animus trahitur: qui si flectatur eidem,
Flexus hic est amor, ac naturae ab origine manans;

Qui, delectando, hinc animo geminatur in ipso.
Natura mox quale sua salit ignis in altum,
Quo sibi materia est consors, re quaerit amata
Ille frui; ac nunquam, nisi sit possessa, quiescit.
Hinc tu nosse potes quantum de tramite aberrent
Recto, qui esse putant laudabile semper amorem,
Quod bona materies semper fors esse videtur;
At, bona sit quamvis cera, haud bona semper imago est. —
Sermo quidem tuus, et mea mens, hunc rite secuta,
Tunc ego respondi, dederunt mihi noscere amorem.
At magis obtineor dubiis: hunc extima rerum
Si generat facies, animusque huic ambulat haerens,
Quid meruisse potest, si recte aut secius ibit?
Quatenus intendit ratio, tibi dicere tantum
Evaleo, ille refert: tua diluet alma Beatrix,
Divinae quod lucis eget. Qui diditus atque
Est pariter junctus terrenis artubus, omnis
Spiritus ingenita ac propria virtute potitur,
Quam, nisi ad actum venerit, haud agnoscere fas est;
Effectuque patet, ceu vivere planta virore.
Notio primarum rerum, affectusque priores
Propterea, qui sunt animis, ut mella creandi
Est apibus studium, haud homini patet unde creentur.
Non hic primus amor laudem probrumque meretur:
Ast, alius quoniam hinc omnis venit, altera virtus
Innata est, quae consulit, et quae limine debet
Sistere in adsensus. Vobis hinc prima merendi
Causa venit, prout illa bonos admittat amores,
Rejiciatque malos. Sophiae id novere magistri,
Multaque propterea morum documenta dedere.
Quantumvis animis ergo exoriantur amores
Est opus, hos tamen est illis pepulisse facultas;
Liberum et arbitrium vocat hanc claram alma Beatrix
Virtutem; esto memor, si de hac tecum ille loquatur. —

Poene ad dimidium noctis jam luna morata,
Rara dabat nobis effulgere sidera celo,
Ut situla apparens, quae tota exardeat, ingens;
Ac Coelum adversus currebat tramite, quem Sol
Accendit, cum inter Sardos Corsosque cadentem (1)
Roma videt: Ductorque bonus, quo Mantua cedit
Andibus, abstiterat mihi respondere roganti;
Atque ego, jam mentem dubiorum ambage solutus,
Somno instar titubantis eram. Sed protinus omnem,
Quae post nostra frequens veniebat terga, soporem
Turba mihi eripuit. Veluti strepere agmina circum
Ismenus quondam atque Asopus littore vidit,
Cum Bacchi auxilio populus Thebanus egeret.
Sic ego per gyrum vidi se ferre catervas,
Quas recti flammabat amor justique cupido.
Nobis continuo adstiterunt; namque alite gressu
Currebant; flentesque duo velociter ante
Clamantes ibant: Propere Jessaea virago
Se tulit in montem; quateretque ut Caesar Ilerdam,
Massiliam pupugit, rapideque petivit Iberum.
Actutum, actutum; ne paucum propter amorem,
Clamabant alii, tempus decurrat inane;
Gratia namque bonum studio revirescit agendi.
O gens, cui fervor nunc forte rependit acutus
Segnitiem atque moram, Doctor tum dixit, es olim
Queis operata bonum; hic, qui Coeli nescitur aura,
(Vera loquor) cum Sol primos ostenderit ortus,
Ire cupit sursum: qua sit via pandite quaeso.
Talia dicenti respondit Spiritus unus:
Nos sequere, inveniesque aditum: sic ardor eundi
Nos agit, ut nunquam cursum requiesse queamus:
Ignoscas igitur, tibi si est injuria nostrae
Est quod justitiae. Veronae rector in urbe
Caenobii ipse fui, Zenonis nomine divi,

Cum bonus imperium jam Barbarossa teneret,
Quem Mediolanum memorat corde hactenus aegro.
Proximus est quidam tumulo, quem hujusce dolebit
Caenobii, atque habiti hic juris; verique pigebit
Pastoris posuisse loco, membrisque animoque
Deformem, natum, foedis natalibus ortum.
Nescio, (nam longe aufugit) num plura lucutus
Is fuit; hoc autem audivi, placuitque tenere.
Ac tunc ille mihi, auxilium qui ferre solebat
Casibus in cunctis: te, dixit, verte, duosque
Aspice, segnitiem monitis qui ingentibus urgent.
Extremi illi ibant, clamantes: Occidit omnis
Gens prius, abscissis patuit cui fluctibus aequor,
Cerneret haeredes sibi quam Jordanis adesse;
Quaeque sub Æneа est longos pertaesa labores,
Maluit in Siculis ingloria vivere terris.
Qui simul ac adeo ex oculis abiere citatim,
Amplius ut cerni haud possent, tunc altera menti
Cura mihi propere incubuit: quam deinde secutae
Sunt aliae atque aliae; perque illas mente vagatus,
Clausi oculos; ac sunt mihi curae in somnia versae.
XIX. Qua, aut terra aut Saturno interdum victus, in hora
Ulterius Lunae frigus mollire diurnus
Haud potis est fervor; cum sub Pallantidos ortum
Majorem cernit geomantes surgere Sortem
Tramite, qui non deinde diu nigrescere durat,
Visa mihi in somnis pallenti est femina vultu,
Trunca manus, distorta pedes, ac balba loquelam,
Laesa oculos. Illi figebam lumina; et, ut Sol
Frigentes reficit, quos nox depresserit, artus,
Sic meus intuitus dabat illi solvere linguam,
Erigier pedibus, vultumque ornare colore
Qualem poscit amor. Vix facta est libera fando,
Sic coepit canere, ut vocis dulcedine captus,

Ægre hinc me eriperem. Sum ego dulcissima Siren,
Cantabat, medio quae duco ex aequore nautas;
Dulce adeo gratumque cano! mea carmina cursu
Dulichium abduxere Ducem: quicumque moratus
Assuescit mecum, raro a me deinde recedit:
Tam mea laetificat mortalia corda voluptas!
Nondum ea finietat, mulier cum sancta citatim
Me prope devenit; Vatique obversa, severe:
O Maro, quaenam est ista, Maro? clamabat; eamque
Fixus spectabat Vates. Mox arripit alteram,
Arreptaeque aperit, discissis vestibus, alvum:
Prodivit foetor, pulsus quo somnus abivit.
Lumina tum verti; ac mihi: te bis terve vocavi,
Virgilius dixit; quid stas? jam sorge, aditumque
Quaeramus, quo sursum intres. Mea membra levavi;
Et jam Sol totum lustrabat lumine mentem,
Nobis a tergo exoriens; Vatemque sequebar
Incurvus frontem, ut curis qui pluribus auctus,
Pontis dimidium ex se cernuus efficit arcum;
Cum vox: hic aditus, tam dulce ac comiter inquit,
Ut nunquam audiri datur his terrestribus oris.
Quique illam misit, passis candentibus alis,
Direxit sursum, muros saxi inter utrosque:
Ventilat hinc motis pennis; clamatque: *beati,*
Qui lugent; quippe his solatia multa dabuntur.
Cum parum ab Aligero abstitimus: quid lumina terrae
Figis? ait Ductor: tacito quid pectore versas?
Atque ego ei contra: dubium me reddit imago,
Quae nova sese offert, et qua nequeo ipse revelli. —
Sagam illam antiquam vidistin, sola superne
Quae luitur? retulit, qualique repellitur arte?
Hoc satis: acceleraque gradus, ac suspice signum,
Quod Rex aeternus magnis rotat orbibus altum.
Ut prius accipiter plantarum extrema tuetur,

Aucupis hinc sequitur vocem, ac velociter alas
Dirigit ad pastum, revocat quo ex more cupido;
Sic tunc ipse fui: atque hinc, quantum concava rupes
Sese ad iter pandit, tantnm vestigia sursum
Intuli, ad usque novo qua circuit orbita gyro.
Huc ubi delatus, largos effundere fletus
Agmina prona solo vidi; ac vox impulit aures:
Haesimus afflicti terrae; sed crebra sinebant
Integras vix audiri suspiria voces.
Gens electa Dei, cujus tormenta levantur
Et spe et justitia, qua sursum ostendite e.atur. —
Si non est vobis poenam perferre jacendi,
Atque iter optatur brevius; pars extima montis
Sit vestram ad dextram. Petiit sic voce Magister,
Atque ita responsum est paulo nos ante remissum.
Ambigere ex dictis Umbram me vivere sensi;
Propterea Vatem inspexi; nutuque benigno
Ille mihi assensit, quod prodidit ore cupido.
Cum mihi pro lubitu est agere impertita facultas,
Umbram adii, cujus sermo me advertere fecit.
Spiritus o, dixi, lacrymis qui perfieis illud
Quo sine nemo potest ad Numinis ora reverti,
Parce parum curae, quae te super obtinet omnes;
Ac mihi dic queso, qui sis, quo crimine sursum
Vertatis tergum, et si quid tibi finibus illis,
A me vis fieri, sum vivens unde profectus.
Cur nos, ille refert, Coelum sibi vertere Ɉergum
Cogat, deinde scies: Petri me in sede fuisse
Nunc positum scito. Pulcher fons effluit inter (2)
Claverium ac Sestrim, cujus de nomine sanguis
Fit meus illustris, titulique assumit honorem.
Plus paulo unius sum expertus tempore mensis
Potificalis honos quanti sit ponderis illi,
Qui studet hunc omni semotum sorde tueri;

Tam gravis, ut quodvis aliud quasi pluma videtur.
Sero eheu! me poenituit: cum sede potitus
Sum Petri, humanae adverti mendacia vitae:
Vidi non illic requiescere corda, nec ultra
Posse illa in vita ascendi; ac me proinde cupido
Istius cepit. Domino sejunctus, avaras
Jam fueram sectatus opes; ideoque rependo
Hic poenas, velut ipse vides. Cognoscere ab ipsa
Fas est, conversas Animas quae poena repurgat,
Quod fit avaritia; nec monte hoc altera major.
Nostra velut, semper terrenis dedita rebus,
Extulerunt Coelo nunquam se lumina, sic nunc
Justitiae haec terrae figit; velutique cupido
Tristis opum, sub corde boni restinxit amorem;
Atque labor (3) periit; nobis sic crura manusque
Justitia obstrictis cohibet; quantumque placebit
Coelitum Regi, immoti extensique manemus.
Poplite decideram flexo, ac responsa parabam
Reddere; sed, cum paene incepi, atque auribus husuit
Obsequium ille meum: quae te subsidere cogit
Causa? inquit. Tua, respondi, suprema potestas,
Ut bona mens monuit. Surge, ac tete erige, frater,
Is mihi tum retulit; ne imprudens occupet error:
Non aliter quam tu atque alii sum subditus aequè;
Unaque nos omnes regit infinita potestas.
Si reputas animo divini verba Magistri,
Nomina cum docuit sponsae sponsique peractae
Desinere ad vitae fines, cur talia dicam
Nosse potes. Sed jam abscedas: sine libera dedam
Fraena meis lacrymis, quibus id quod es ipse locutus,
Perficio. Est terris mihi, nomine Olagia, neptis,
Intemerata animum, ni exempla domestica pravos
Inducant mores: haec est mihi sola superstes.

XX. Non bene cotendit meliori quaeque cupido.

Proinde, ut ei gererem morem, non sponte retraxi
Spongiam, aquis nondum plenam. Plorantibus Umbrís
Per vacuum ingredimur callem, rupique propinqui,
Ad pinnas veluti per murum vaditur arctum:
Namque malum ex oculis, quod terras occupat omnes,
Gens guttatim edens, nimium consistit ad oram
Externam ripae. O execrabile monstrum,
Immanis lupa, quae nulla saturaris ab esca,
Ingluvieque feras omnes pervincis edaci,
Quando erit ut Celum, cujus vertigine rentur
Humanas variare vices, te denique pellat? —
Lentos ac parcos gressus cum Vate ferebam.
Intendens Umbris, quas flere ac fundere questus
Hauribam; ac forte audivi: o Parthenis alma,
Flebile clamari, mulier ceu proxima partu,
Quam pauper fueris, specus est asperrima testis,
Quo sanctum edideris partum. Mox dicere sensi:
Visa tibi est potior virtus in rebus egenis
Quam vitium, bone Fabriti, cum divite censu.
Hic mihi tam placuit sermo, ut cognoscere amarim
Quis daret, antetulique pedem. Celebrabat et aurum,
Quod Lycius pastor, motus pietate, puellis
Tradidlt, intactumque dedit servare pudorem.
O bona, tam pulcras effundens Umbra loquelas,
Fare, quis es, dixi, et quare tam grandia solus
Haec exempla refers: non te pro munere reddam
Mercedis vacuum, si sursum implere revertar
Exiguum vitae, finem tetigisse volantis.
Ille mihi contra: non me solatia terris
Quae non ulla moror, sed quae tibi plurima fulget
Gratia adhuc vivo, respnsum reddere suadet.
Arboris ipse fui radix infausta nocentis,
Quae sic Christiadum late contaminat omnes
Terras, ut raros his sit fas carpere fructus.

Belgarum vero si vires urbibus essent,
Ultricem peterent poenam, quam fervidus illum,
Qui jure ac merito dijudicat omnia, posco.
Japetus vocor Ugo: ex me, qui Gallica sceptra
Gestant, et Ludovici venere atque Philippi:
Parisiis, lanii sum patris semine cretus:
Cum veteres omnes cessarunt vivere veges,
Tantum uno excepto, cinereum qui sumpsit amictum,
Imperii fraenum manibus sum nactus habere,
Ac tantis opibus, procerumque favore potiri,
Ut mea regalem ad sedem provecta vacantem
Progenies fuit; ex qua his regibus incipit ordo.
Cum genti dos magna meae Narbonica nondum (4)
Dedecus abluerat, non viribus illa valebat
Multis, ac pariter nunquam nocumenta ferebat:
Hic est illa suas vi ac fraude exorsa rapinas.
Ut scelera emendet, Normania, Neustria, Pontes,
Hinc capiuntur ei. In terras se Carolus infert
Italicas, et Corradinum funere mergit,
Ut scelera emendet: Thomam et inde remittit Olympo, (5)
Ut scelera emendet. Nec multum tempus abibit,
Carolus ecce alter Gallorum ex finibus exit,
Ut sese atque suos det nosse; haud fortibus armis
Usus, sed tantum, qua Judas militat, hasta:
Hanc jacit, ut sectum doleat Florentia ventrem:
Quapropter non ille solum, sed dedecus ingens
Accipiet; gravius, quanto minus ille putabit.
Alter, qui, postquam captus de nave refugit, (6)
Venum dat pretio natam, ceu vendere praedas
Femineas pirata solet. Quid feceris ultra,
Turpis avarities, nostro cum sanguine cretos
Sic tibi constringis, nulla ut sit cura suorum?
Utque minus, quod erit quodque extitit ante, putetur,
Gallorum mihi capta videtur Anagnia signis;



Inque suas obeunte vices ludibria Christus
Fel et acetum iterum passus, mortemque cruentam
Latrones inter vivos. Nec talibus hisce
Pontius hic novus expletur; sed sponte rapaces
In templum, sine jure, manus cupidissimus infert. (7)
Quando erit, Omnipotens, ut te jam sumere laetus
Vindictam aspiciam, tua quam sapientia condit
Interiore sinu, atque tibi dulcem efficit iram? (8)
Quod sum autem fatus, Matrem cum voce vocavi
Numinis, ac mihi scitatum te vertere feci,
Nostris id precibus servit, dum luce diurna
Hic locus induitur: postquam nox explicat umbras,
Diversus resonat sermo. Tum voce refertur
Pygmalion, qui fur et proditor atque cruoris
Fraterni effusor fuit, auri propter amorem; (9)
Et clades, quam sponte sibi rex Mida petendo
Adduxit fatuus, multo ridenda cachinno.
Commemoratur Acham, vetitas sibi sumere demens
Exuvias ausus, quem Josue territat ira;
Et Sapphira suo cum cunjuge dedita leto.
Laudantur calces, queis perculit Heliodorum
Æthere missus eques; totumque infamia montem
Bistonii regis, Polidori ob funera, replet.
Denique clamatur: dic nobis, Crasse, quid aurum,
Nam debes tu scire, sapit? Non omnibus idem
Est tenor; ast alii submissa voce loquuntur,
Elataque alii; prout quisque impulsus amore
Est dare vim voci majorem sive minorem.
Non ego solus eram, qui verba diurna referrem
Nuper; sed solus de circumstantibus alte
Tollebam vocem. Sic dixit, eoque relicto
Extulimus gressum; quamtumque erat ire potestas
Carpebamus iter, cum montem, ut siqua ruit res,
Intremere audivi: correptus frigore membra

Obrigui, veluti mortem qui occumbere pergit.
Non equidem Delos sese sic ante movebat
Quam pareret Latona duo illic lumina Coeli.
Undique dehinc clamor coepit; propriusque Magister
Proinde mihi accedens: duce me, inquit, parce timere.
Gloria in excelsis, clamabant uniter omnes,
Quantum non longe potui deprendere vocem.
Haesimus attoniti, ut pastores carmine primum
Hoc olim audito, donec cantusque quievit
Tellurisque tremor. Rursus tunc imus, ad Umbras
Jugiter intentis oculis, impressa tenentes
Ora solo, atque iterum ad lacrymas questusque reversas.
Tantum nulla rei, si mens mihi vera reducit,
Me cupidum fecit discendi inscitia, quantum
Tunc ego sum factus: sed non deposcere quidquam,
Dum propero, audebam; nec erat quod ibi ipse viderem:
Ibam propterea pavidusque ac multa volutans.
XXI. Quam natura parit, nescitque extinguier ulla,
Praeter quam mulier petiit Samaritis, ab unda,
Me sitis urebat; studioque urgebar eundi
Interea per iter stratum plorantibus Umbris,
Et, quos justitia infligit, pietate dolorum.
Ecce, velut tumulo aetherias redivivus ad auras
Discipulis olim Christus pergentibus Emaus,
Ut momorat Lucas, nobis apparuit Umbra;
Post nos tendebat gressum, ad vestigia retro (10)
Prospiceret dum turba jacens; nec sensimus ante
Quam vocem ediderit. Pacis vos munere, fratres,
Sospitet Omnipotens, inquit. Nos protinus illi
Vertimur, his vix auditis; Vatesque vicissim
Innuit, ut decuit; nutumque est voce secutus:
Det Coelum tibi pace frui, quod sedibus illis
Me procul exilio per saecula cuncta relegat. —
Quare, quove modo, montem tam praepete gressu,

Respondit, si vos Deus indignatur, aditis?
Quo duce venistis? Contra cui talia Vates:
Si, quae hic fronte gerit, quaeque Angelus imprimit ense,
Tu signa aspicias, nimirum opus esse videbis
Hunc inter regnare bonos; at stamina quando
Nondum illi Lachesis nerat, quae imponere Cloto
Unicuique solet, solus se ferre nequibat
Spiritus illius, nobis qui est frater utrisque; (11)
Quippe etenim nescit nostro discernere more:
Quare ego sum vastis detractus faucibus Orci,
Ut comes illi adsim, ac vivis impervia regna
Ostendam; quantumque sciam haec ostendere pergam.
At dic, si nosti, cur magno concita motu
Intremuit rupes? sonuit cur udique clamor
Usque ad radices, vitreum quas alluit aequor?
Haec Doctor poscens, placitum mihi prorsus agebat;
Ardentemque sitim spes hinc exorta levavit.
Nil extra morem, ille ait, aut absque ordine, montis
Relligio patitur: nulla inconstantia regnat.
Nil valet hic aliud diversos edere motus,
Quam quod caelestis regio ex se suscipit ipsa;
Non etenim scala ulterius, quam triplice tantum
Vidisti constare gradu, nix, atque pruina,
Ros, imber, grandoque cadunt. Non fulgura, nubes,
Aridus et vapor, atque vagus Taumentidos arcus
Transiliunt limen, quo claviger Aliger adstat.
Inferius fortasse tremit multumve parumve;
At, ventum ob terra inclusum, (cur nescio) nunquam
Hic tremuit. Tremit hic, macula cum Spiritus omni
Exutus, sese movet, atque assurgere sumit;
Ac tremor excipitur cantu. Est sola voluntas
Munditiae indicium, qua liber Spiritus actus
Optat sedem aliam; atque illi est voluisse juvamen.
Ante etiam optabat; sed poenam implere voluntas

Illi inerat, Deus invitae quam subjicit ultor;
Ut poenam cupiat, veluti peccare cupivit.
Hinc mihi, qui has curas quingentos amplius annos
Sum passus, sedis mutandae est orta voluntas;
Atque ideo motum audisti, laudesque canentum
Spirituum Domino, qui mox se ascendere donet.
Haec ait; et, quoniam potandi est tanta voluptas,
Quo major fuit ante sitis, non promere verbis,
Quam mihi profuerit, scirem. Cui deinde Magister:
Quae vos hic vinctos tenet, et quae causa resolvit,
Jam novi; unde tremor terrae, cantusque sequaces.
Nunc age, qui sis, et cur hic tot saecula passus
Discere fac poenas. Cum, Caeli Rege juvante,
Spiritus is retulit, Titus est ea vulnera bello
Unde cruor fluxit, Judas quem vendidit, ultus,
Nomine, quod plus et viget, et plus addit honoris,
Ipse insignis eram, at Fidei nondum assecla Christi.
Carmina erant adeo mea grata, ut ab urbe Tolosae
Accierit Roma, atque ornarit tempore myrto.
Dictus sum terris Statius, fraternaque bella
Thebarum cecini, Peleique ex sanguine Achillem;
Ast onus haud potui vivens explere secundum.
Ardori divina meo genitabile semen
Flamma fuit, cujus quamplures lumine clarent;
Haec mihi materque ac nutrix: Aeneida dico,
Qua sine nil feci, quidquam cui ponderis esset;
Atque, ut Virgilii vixissem tempore, Solem
Exilio vellem decedere serius unum.
Haec me Virgilio dederunt tali ore tueri
Quod dicit, nil fando, sile. Sed victa voluntas
Motibus interdum cedit; sunt quippe sequaces
Risusque ac planctus curae, unde utrique creantur;
Ingenuisque viris minus imperat ipsa voluntas:
Ast ego subrisi tantum, nictantis ad instar.

Quare Umbra, hoc cernens, presso stetit ore; mihique,
Quo magis apparent inclusi pectore sensus,
Intuita est oculos. Sic coepti attingere finem
Sit tibi fas, dixit, quare tibi nuper in ore
Prorupit risus? Diversis partibus anceps
Comprimor: una silere jubet, jubet altera fari:
Corde dabam gemitus. Sensit Praeceptor, et inquit:
Fare quidem, et narra quod sedulus iste requirit.
Tunc ego: quod risum ediderim, tu forte, vetuste
Spiritus, obstupeas; magis at mirabile disces:
Qui mihi doctor adest, ac me super ardua ducit,
Hic est ille Maro, unde animos, ut facta virorum
Atque Deos caneres, hausisti. Si altera risus
Causa, tuae obveniat menti, fuge credere veram;
Quae porro de illo es fatus, vera omnia rere.
Is se inclinabat, complecti genva Magistri
Adproperans; ast ille inquit: ne talia faxis;
Umbra utrique sumus. Cui surgens rettulit alter:
Jam nosces quanto tibi sum divinctus amore,
Corpore cum fuerim nos esse oblitus inanes.
XXII. Jam sextum ad gyrum qui nos direxerat, Ales
Pone relictus erat, signumque abraserat ore;
Et *qui justitiam cupiunt*, mihi voce *beati*
Ediderat; mox cum *sitiunt* sua verba quierunt.
Atque ego, jam multo levior, sic impinger ibam
Ut geminis Umbris adjungerer, absque labore.
Tum sic Virgilius: Virtute accensus, amorem
Semper, ait, succendit amor, dum flamma patescat.
Ex quo igitur Limbi venit Juvenalis ad umbras,
Quamque mei caperere, dedit cognoscere, amore,
Tali igne exarsi, quanto exardescere possit
In quemquam haud visum; valdeque videbitur ergo
Haec mihi scala brevis. Sed tanquam foedere junctis
Dulcis amicitiae, dic quaeso, ac parce benignus,

Si nimium fidenter ago: dic, quomodo turpis
In tuo avarities potuit considere corde
Inter doctrinam tantam, quam adquirere plene
Cura tibi fuerat? Statius subrisit, et inde:
Vox tua, respondit, mihi cari est pignus amoris.
Res saepe apparent, quarum latet abdita causa,
Ac mentem hinc dubio involvunt. Te credere sermo
Ostendit, me, vitali dum vescerer aura,
Turpi ab avaritia victum, ob quam forsitan oram
Incolui montis: sed scito, quod ardor habendi
Abfuit a me tum nimium; atque hoc multa luenti
Luna recurrit iter. Nisi dein mihi versa fuisset
Cura animo, ad tua converti cum carmina mentem,
Naturam quasi in humanam queis percitus ira
Inclamas: *quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames? paterer certamina saxi.
Posse manus didici impensis nimis esse patentes,
Ac me poenituit, nec non et caetera vitae
Crimina devovi. Quot tonso crine resurgent.
Quos hujus vitii, vitae dum tempora durant,
Et cum summa dies venit, ignorantia posse
Poenituisse vetat! Scito, quod quaelibet ulli
Opposita est recte sceleri, hic damnatur eisdem
Culpa malis: ideo, si me locus inter avaros
Purgandum tenuit, sedes mihi contigit illa
Ob scelus oppositum. — Edipodoniadum impia bella
Bucolici dixit Mantous carminis Auctor,
Cum tu jam caneres, (quantum dat noscere, ibidem
Quod tua pertractat Clio), nondum esse videris
Addictus Fidei, quae si defecerit, haud est
Sat benefecisse: ecquis sol, quae vivida tantum
Fax tibi dehinc potuit depellere mente tenebras,
Ut tua post Piscatorem vestigia ferres?
Tu me Pegaseas duxisti, ille inquit, ad undas;

Tuque Deum versus clarasti lumine primo:
Egisti, ut qui post tergum fert lampada noctu,
Non sibi sufficiens lumen, sed pone sequenti.
Cum caneres: *Redit et Virgo, et Saturnia regna;*
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Ac nova progenies Coelo demittitur alto,
Tu me fecisti vatem Christique sequacem.
At magis haec certis volvam per singula dictis.
Mundum omnem, aeterni praeconibus edita regni,
Implerat jam vera Fides. Cum consona eorum
Dicta tuis essent, illos invisere coepi;
Atque adeo inveni sanctos morumque pudicos,
Ut, cum supplicia ac caedes îs ferret iniquas
Flavius, ingemui, miseratus corde dolores:
Dum vixi, hos juvi; quaeque illis integra vitae
Est probitas, quascumque dedit me temnere sectas.
Cum nondum Argolicos duxissem ad flumina Thebae
Carminibus, me respersit Baptismatis unda:
Sum veritus vero, captus terrore, vocari
Christiadam; finxique diu Dîs reddere cultum:
Isque tepens animus complecti cursibus orbem
Quartum, me plusquam quatuor per secula fecit.
Tu modo, per quem discussis divina tenebris
Lux mihi perfulsit, superat dum semita montis,
Dic ubi sunt Plautus, priscusque Terentius, atque
Varro et Caecilius: teter num Tartarus illos,
Et quis vicus habet? Sunt omnes carceris atri
Circuitu in primo, retulit Maro: Persius hic est,
Atque alii multi mecum, cum Vate Pelasgo,
Quem, cunctos super, Aonides aluere sorores.
Mons hic saepe biceps memoratur, grata Camoenis
Sedes: sunt hic Simonides, Agatho, Euripidesque,
Teius et Vates, aliique ob carmina Graji
Tempora praecincti lauro: sunt insuper una

Quaedam ex gente tua, Antigone, Ismenaque tristis,
Deiphile, Argia, et fontem quae ostendit Achivis;
Hic Thetis, hic et Deidamia, ejusque sorores,
Nataque Tyresiae. — Vates jam utrique silebant,
Scala parietibusque egressi, ac omnia late
Rursum lustrantes oculis; quatuorque diei
Abstiterant famulae: temonem quinta regebat,
Ardentem torquens convexa per ardua currum.
Tum meus haec Ductor: dextram reor esse tenendam,
Extremum ad ripae, veluti consuevimus ante
In montis gyrum. Sic dux vadentibus illic
Mos fuit; atque viam, Statii cum assenserit Umbra,
Tutius ingredimur. Solus, praeeuntibus illis,
Ipse ibam, atque silens hauribam verba loquentum,
Quae mihi Pierio lustrabant lumine mentem.
Eloquium abrupit, medio quae tramite, pomis
Est inventa bonis ac suaveolentibus, arbos.
Ut ramos abies, quo se magis erigit alte,
Hoc magis exiles pandit; sic illa deorsum,
Ordine converso; ne quis sursum, arbitror, iret.
Qua parte assurgit mons, ac se semita claudit,
Fonte liquor puro manabat cautibus altis,
Perfundens rigua virides aspergine frondes.
Adstiterunt Vates plantae; ac vox reddita ab ipsis
Frondibus: hanc caram vos, inquit, habebitis escam.
Non sibi, mox ait, at mensis sponsalibus olim
Prospexit, quae pro vobis Maria orsa reponit: (12)
Romanae veteres sese abstinuere Lyaeo:
Doctrinam accepit Daniel, cum spreverit escam:
Quae fuit ante alias, atque aurea dicitur aetas,
Esurie atque siti glandes sumpsisse saporem
Fecit, et amnis aquas dulcescere, nectaris instar:
Incola sylvarum sese melle atque locustis
Zacharides aluit; quare tot laudis honores

Promeruit, quot nosse sacri dat pagina libri.
XXIII. Dum virides inter frondes mea lumina ferrem,
Aucupis occultas scrutantis more volucres,
Ille mihi plusquam genitor: te proripe, dixit,
Quodque datur, melius sit curae impendere tempus.
Arripui conversus iter, vestigia Vatum
Pone sequens, sic inter sese alterna loquentum,
Ut me nil via vexaret. Tum fletus et unà
Est canor auditus: *Deus o mihi labra reclude*,
Ut mihi laetitiam simul excieritque dolorem.
Quid, Pater, hic sonitus? dixi. Sunt, rettulit, Umbrae,
Ut puto, quae, quod debuerant, nunc rite rependunt.
Non secus ac gradiens suspensa mente viator,
Si gentem assequitur, tendentem tramite eodem,
Ignotam, haud cunctatus iter, respectat euntem;
Sic, nostrum in tergum veniens, citioreque gressu
Praeteriens, nos spectabat pia turba Animarum,
Obtutuque silens. Cava lumina quaeque gerebat,
Pallentem faciem, atque omni sic carne carentem,
Ossibus ut cutis haereret. Non Thessalus olim
Est tam Eresichthon ingluviae ocnsumptus edaci,
Cum proprios, cogente fame, discerperet artus.
En, mecum ajebam, Solymae gens passa ruinam,
Cum genetrix nati fecit sibi pabula corpus.
Intus erant oculi, gemma velut annulus expers;
Quique *omo* in humani structura perlegit oris,
M bene in istorum potuisset cernere vultu.
Pomorum atqne undae unus odor pariebat in illis
Esuriem atque sitim: quis tam mirabile credat?
Dum, causae ignarus, stupeo quod tantus inesset
Squalor, et informis macies, mihi protinus Umbra
Ex imis capitis latebris tum lumina vertit
Ac fixit, mox inclamans: quae gratia! dixit.
At nunquam agnorim; sed vox mihi prodidit illud

Adspectus quod delerat: mens indice ab illo
Est penitus mihi facta memor: noviquae Foresem. (13)
Oh, me compellans, maciem ne adverteris, inquit,
Qua tenuor, scabiemque adimit quae ex pelle colorem:
De te vera refer; dic quae sint, deprecor, illae
Quae tibi sunt comites, Umbrae: ne absiste profari. —
Me tua, repondi, quam raptam funere flevi,
Non minus affligit facies, tam informis et horrens
Quod mihi conspicitur: quapropter dissere, quaeso,
Quid vos sic terit: attonitum me dicere noli;
Non bene nam fantur, quos altera cura fatigat. —
Numinis aeterni virtus, tunc ille reponit,
Quas retro vidisti, in plantam descendet et undam,
Unde ipse attenuor: gens haec, quae luget et unà
Dat cantum, sine more gulae quod favit edaci,
Nunc per et esuriem atque sitim se crimine mundat.
Ex pomis manans, ac frondes fonte riganti,
Gratus odor, potus esusque inducit amorem.
Nec semel hanc poenam patimur; nam, saepe recursum
Dum facimus, sese renovat; solatia dicam,
Non autem poenam: siquidem nos illa voluntas
Arboris ad truncum ducit, quae duxit Jesum,
Cum montem ascendit laetus, quo diceret *Eli*,
Humanamque suo servaret sanguine gentem. —
Illi ego tum contra: quintus non volvitur annus,
Ex quo, morte obita, melior te vita recepit:
Si tibi peccandi fuit ante erepta facultas,
Quam, junctura Deo, subvenerit hora doloris,
Tam cito cur huc venisti? te rebar ad imas
Detentum cautes, quibus hora rependitur hora. —
Me lacrymis precibusque suis ad dulcia duxit,
Ille mihi rettulit, potanda absynthia conjux.
Ipsa gemens, ac vota iterans, me a littore rupis
Abduxit, reliquosque dedit transmittere gyros.

Hoc magis est ea grata Deo, (dulcissima conjux
Quam vivens tam dilexi!) quod sola pudorem
Justitiamque colit: nam, quo Barbagia terris
Sardois colitur, genus est muliebre pudicum
Moratumque magis, quam queis illam ipse reliqui.
Quid dicam, frater? Longum non tempus abibit,
Cum Florentinis sacri per templa vetabunt
Praecones ferri nudatas pectore mammas.
Quas Arabum de gente satas, quas sanguine cretas
Rarbarico, poenis fuit exterrere necessum,
Ut sese tegerent? At, si ventura procaces,
Quae parat his Coelum velox, praenoscere possent,
Jam nunc inciperent implere ululatibus auras.
Praescia ni mens me fallit, certe ante dolebunt,
Quam lac nunc sugens, velet lanugine malas.
At te pande, precor: non me dumtaxat, at omnes
Has gentes oculos illuc convertere cernis,
Quo Solem ipse tegis. — Memori si mente revolvis,
Dixi, qualis ego tecum ac mecum ipse fuisti,
Nunc etiam in praesens valde neminisse dolebit.
Me vita ex illa nuper, cum plena refulsit
Cyntia, is abduxit, qui me paecedit euntem.
Per veram passorum mortem horrentia regna,
Me vera cum carne tulit: mox traxit in altum
Per gyros montem, qui dat consurgere rectos,
Quos mundus torsit. Mihi dux ait inde futurus
Quatenus adveniam, quo me divina Beatrix
Excipiet: mihi tunc erit hoc ductore carendum.
Hic est Virgilius, qui talia fatur, et alter
Umbra est, per quam contremuit modo concita rupes,
XXIV. Unde illa abscedit. — Nec vocem gressus eundo,
Nec vox tardabat gressum; sed mutua fantes,
Ut ratis, ibamus celeres, vento acta secundo;
Turbaque Spirituum, quasi bis extincta, cavatos

Haerebat defixa oculos, me vivere mirans.
Sermonem ipse sequens: fors, dixi, illa ire moratur
Alterius causa: sed tu, si noveris, ede
Quo Piccarda manet; nec dicere mitte, tot inter
Qui me respiciunt, num sit quis forte notandus. —
Haec mea cara soror, quae nescio an integra morum
An magis extiterit praestanti praedita forma,
Nunc rutilo in Coelis serto redimita triumphat.
Ille prius dixit; sic fari est deinde secutus:
Non hic est vetitum appellari nomine quemquam;
Delerit veteres macies cum lurida formas.
Hic (et tenso monstravit digito) est Bonajuncta, (14)
Est Bonajuncta ex Lucca. Aliis macilentior ille
Haud procul, Antistes sacrorum maximus olim (15)
Ex Turonum terra fuit; extintasque falerno
Volsinii anguillas nunc per jejunia purgat.
Multos praeterea ostendit; ac quisque vocari
Nomine gaudebat: nullius taedia vidi.
Vidi Ubaldinum ex Pila frustra ora movere, (16)
Impellente fame; atque pedum te deinde gerentem
Quo gentes multas, Bonifaci, ad pascua duxti; (17)
Et Rigogliosum vidi, qui haurire Lyaeum (18)
Desiit haud unquam, quamvis minus arida fauces
Tum sitis afficeret, quam nunc saevissima torquet.
Ut qui, conspiciens multos, dehinc eligit unum,
Sic ego Lucensem, cui notior esse videbar,
Omnibus antetuli. Verborum murmur in ore,
Quo Deus hos punit vindex, illum edere sensi,
Et mihi, nescio quid Gentucca, sonabat ad aures.
Spiritus o, dixi, qui mecum verba videris
Tam conferre avidus, claro, quae pectore condis,
Pande sono, ac nos alterna fac voce fruamur. —
Jam nata est, ac nondum se velamine texit,
Quae patriam dabit esse meam tibi femina gratam.

Ille inquit, quamvis alii hanc utcumque reprendant:
Haec tecum praevisa gere; et, si in murmure nostro
Cepisti errorem, facient te vera scientem. (19)
At dic: vatemne aspicio, nova carmina dulci
Edentem plectro, ac tali incipientia cantu
Vos, precor, experto dociles in amore, puellae?
Quidam ego sum, retuli, qui, quos sub pectore sensus
Subdit Amor, servo, talesque ad carmina duco.
Nunc nodum, is dixit, video, qui attingere dii
Et me et Guittonem et Scribam modulamina cantus
Impediit, cunctas qui nunc adeo allicit aures.
Sat mihi comperitur, quod vos sectamini Amorem,
Atque huic haeretis; quod nunquam fecimus ipsi:
Quisquis et illius tentat transmittere fines,
Quam stylus abludunt inter se nescit uterque.
Haec ubi dicta dedit, contentus pene quievit.
Ut volucres, agit ad tepidum quas bruma Canopum,
Æquata nunc fronte viam per nubila carpunt,
Ocyus inde volant, oblongoque ordine tendunt;
Sic gens illa gradum, cordisque cupidine multa
Ac macrore levis, versa tum fronte, citavit.
Ac, veluti longo lassatus pectora cursu
Vir quondam, sociis dimissis, sistit anhelans,
Donec ab immodico respirent ilia pulsu;
Sic agmen socium sivit transire Foresis,
Ac me pone sequens: quando te, ait, ipse revisam?
Nescio, respondi, quantum mihi vivere detur;
Haud ita confestim tamen hanc provolvar ad oram,
Quam mea vota velint; quippe urbs, ubi lucis in auras
Aetherias veni, magis ac magis usque bonorum
Fit vacua, et certum excidium incursura videtur.
Vade age, subjecit: qui prima est causa malorum, (20)
Hunc ego equi video per saxa rigentia cauda
Raptari in vallem, qua nulla piacula culpae:

Praecipitat quadrupes cursu magis usque citato,
Percutit, exanimemque virum lacerumque relinquit.
Non istos longum converti videris orbes,
(Ac celum aspexit), tibi cum clarere videbis
Quod nunc ulterius nequeunt mea pandere dicta.
Sed tu jam maneas, oro: sunt tempora valde
His pretiosa locis: tecum vestigia ducens
Jam nimis amitto (21). Sic fatus, praepes abivit.
Qualis fortis eques, digressus ab agmine, in hostes
Prosilit, ut pugnae primos adquirat honores;
Haud secus is me deseruit, solusquae remansi
Cum geminis, mundi qui tam praeclara fuere
Lumina. Cumque is tantum abît, ut captare sequentes
Tunc possent oculi, veluti mens ante loquelas,
Altera cum gravidis ramis vivacibus arbos
Visa est haud longe, cum illuc modo lumina ferrem.
Circumfusa manus frondes tollebat in altas,
Nescio quid pia turba loquens; velutique puelli,
Quidquam illum orantes, qui non respondet, et alte
Rem tenet optatam, ut major sit proinde cupido:
Mox, quasi consilium mutans, ex arbore cessit.
Nos quoque, tot questus frustrantem ac vota petentum,
Venimus ad plantam; at: ne huc accedite, et ultra
Tendite, nescio quis mediis ex frondibus inquit:
Planta est ulterius prima demorsa parente; (22)
Haec est illius tristi de germine nata.
Virgilius Statiusque et ego discedimus ergo,
Parentes monitis; ac sub latera ardua rupis
Progredimur. Memores estote, hinc dixit, ut olim,
Postquam se implerunt dapibus multoque Lyaeo,
Nubigenae Theseum bello impetiere bimembres;
Utque olim Abramidae prona cervice biberunt,
Quos ideo haud voluit Gedeon deducere secum,
Cum Madian versus colles descendit in hostem.

Sic, rupis dorso haerentes, audimus eundo
Crimina multa gulae, multum lucrata malorum.
Plusquam mille gradus patefacto hinc tramite solo (23)
Vadimus ulterius, sub pectore quisque volutans,
Nullam edens vocem: Quid mente putatis, euntes
Sic vos tres soli? vox protinus impulit aures.
Sum simul excussus, subiti ceu bellua motus
Capta metu; erexique caput, vox unde veniret
Luminibus qaerens. Nunquam vel massa metalli
Aut vitri, ardenti sic fulgida prodit ab igne,
Ut quemdam aspexi, dicentem: ascendere sursum
Si mens est vobis, opus hic est flectere gressum:
Hac quisque ingreditur, regnum cui pacis aditur.
Lumine perstrictus, Vates sum versus ad ambos,
Ut qui carpit iter, vocem prout auribus haurit.
Mense velut Maji, venientis nuntia lucis,
Spirat odoriferis imbuta vaporibus aura
Herbarum ac florum; allambi mihi flamine frontem
Sic mediam sensi, ac motis fragrantia pennis
Missa est ambrosiae. Felix, cui gratia Caeli
Temperat esuriem, vox altera dixit, et esus
Cui nisi justus amor, nisi potus justa cupido.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER VIII.

XXV. Nolebat tunc hora moram, nam liquerat axem
Sol medium tauro, atque nepae nox atra teneri. (1)
Propterea, veluti, cui res incumbit agenda,
Vir coeptum molitur iter, nihil obvia curans;
Sic, scalam ingressi, per callem vadimus arctum,
Alter post alium; velut ire angustia cogit.
Ut tener is pullus, quem vere ciconia gignit,
Attollit pennas, correptus amore volandi,
Mox premit has pavidus, non audens linquere nidum,
Tunc ego talis eram, nolensque volensque rogare,
Pene loqui incipiens: Quanquam perniciter iret,
Non me Dux liquit, dixitque; emitte sagittam
Eloquii ex arcu, ad ferrum quam adduxeris ipsum.
Tunc ego fidenter fari sum talibus orsus.
Quomodo fit macies, ubi opus nutrimine deest? -
Si memor hic esses Meleager quomodo leto
Sic fuit absumptus, prout truncum absumeret ignis,
Id tibi difficile haud foret; et, si forte putares
Quomodo et in speculo sic ipsa movetur imago,
Inspiciens ut membra movet, quae dura videntur,

Mollia tum fierent. Verum, ut tu mente quiescas,
En Statius, quem oro atquc rogo ut tua vulnera sanet. –
Prospectum aeternum si nunc te pandere coram (2)
Sumam, respondit Statius, tua certa voluntas
Me culpa absolvat, cui sum parere coactus.
Sic deinde incepit: Fili, mea percipe dicta,
Atque modum, quem scire cupis, te rite docebunt.
Perfectus sanguis, venis sitientibus unquam
Qui non hauritur, superest, velut esca superstes
Tollitur ex mensis. Trahit hic ex corde vigorem
Formandi membra, ut venas qui permeat omnes,
Haec eadem ut faciat. Digestior affluit illuc
Quo magis haud fari decet: hinc vas stillat in aptum,
Sanguine in alterius: simul hic miscentur utrique,
Hic pati et ille agere aptus; propter scilicet, a quo
Perfecto premitur loco. Ubi pervenerit illuc,
Continuo exorditur opus; densatque liquentem
Materiam: ac, postquam coalescere fecit, eamdem
Vivificat. Virtus cum activa hinc denique facta
Est anima, ut plantae (nisi quod planta attigit oram,
Haec etiamnum est in cursu) tantum illa operatur
Ut motu ac sensu, aequorea ceu fungus in alga,
Materies potitur; struiturque hinc quaeque facultas,
Quarum ipsa est semen. Generantis (percipe, fili,)
Virtus, corde fluens, ex quo Natura creandis
Omnibus intendit membris, se flectit, et omnes
In partes tendit, variosque inservit ad usus.
Quomodo at in foetu mentis spectabile lumen
Insinuet, nescis. Res haec adeo ardua captu est,
Ut mage te multo sapiens errarit in ipsa. (3)
Abjunctum hoc animo (quod non invenerit ullam
Quam teneat partem) is statuit. Tu percipe verum.
Perfectum ut cerebri est textum, se Conditor orbis
Tam miro Naturae operi convertere gaudet.

Atque novam huic animam, plenam virtutibus, afflat;
Quae quodcumque activi in foetu repperit ipso,
Attrahit, attribuitque sibi: fit spiritus unus,
Qui vivit, sentit, sese in sese ipse reflectit.
Utque minus stupeas, solarem cerne calorem,
Qui, viteo humori junctus, fit vineus humor.
Stamina cum Lachesi desunt, se corpore solvens,
Fert virtute sua divina humanaque secum.
Qua meminit, qua vult, qua intelligit, omnis in actu
Haec est vividior, membris exuta, facultas;
Cunctae aliae, mutae remanent. Nihil ille moratur:
Sponte, modum in mirum, Tibris aut Acherontis ad oram
Labitur: hic primum quae sit data semïta discit.
Sede nova adstrictus, virtute inducere formas
Apta, ceu cum habuit corpus, stantem aera circum
Imprimit: utque aer pluviis in nubibus olim
Induitur varios adverso sole colores;
Haud aliter formam vicinus suscipit aer,
Quam praebet virtute sua illic spiritus adstans:
Atque, ut flamma suo nunquam se dividit igne,
Sed quo ierit, sequitur; forma sic spiritus unquam
Deseritur non ipse nova. Cumque inde videndum
Spiritus ostendat sese, proin Umbra vocatur.
Hic, usque ad visum, sensus sibi comparat omnes:
Edimus hinc planctum ac risum, vocemque ciemus,
Quaeque per hunc multa audisti suspiria montem.
Sic animi motus varios occultaque vota
Pandimus, ut sua cuique flagrat dictatque cupido.
Haec causa est equidem, quae te stupuisse coegit. —
Extremum attigimus gyrum; dextramque meantes
In partem, intentos nos altera cura tenebat:
Nam rupes eructat flammas, atque crepido
Emittit ventum, qui has rejicit atque repellit:
Quare erat extremo sejunctis margine eundum;

Meque hinc terrebat flamma, hinc declive ruinae.
Hic, meus ajebat monitis Praeceptor amicis,
Est fraenum cohibendum oculis, cauteque meandum;
Nam valde nocuisse potest vel parvulus error.
Numinis o summi pietas, audita per ignes
Vox cecinit medios, ac me illuc vertere adegit
Lumina, quae dubio tum calle intenta ferebam.
Ire Umbras per flammam vidi; illasque tuebar
Atque viam, alternans oculos. Cum desiit hymnus
Clamabant alte: *non est mihi conjugis usus,*
Ac submissis hymnum iterabant vocibus ipsum.
Hoc quoque finito; *Silvam Diana petivit,*
Clamabant iterum, *atque Helicen irata removit,*
Quod fuerat Veneris blandum perpessa venenum.
Hinc indulgebant cantu, hinc exempla ferebant
Matrumque atque virûm, vitam qui rite pudicam
Egere, ut virtus et vincla jugalia poscunt.
Hunc, puto, lustrali donec versantur in igne,
Observant morem: tali medicamine plaga
Obsuitur, quam montis habet suprema crepido.
XXVI. Margine dum sic progredimur; cave, saepe Magister
Ajebat, monitusque mei dent esse sagacem.
Sol mihi dextrum humerum lustrabat, qui aethere pronus
Caeruleam prius, occiduam nunc lumine partem
Candenti induerat totam; magis atque videri
Corpore jacta meo dabat umbra rubescere flammam;
Quod multas Umbras mirando advertere vidi.
Hoc fari has fecit: Non hic ex aere constans,
Dixere, est corpus. Quantum potuere, propinquae
Exin se tulerunt, at non extrinsecus ignem.
O, qui posterius, non quod sis segnior, at quod
Forsitan in reliquos teneat reverentia, pergis,
Da mihi responsum, qui torreor igne sitique;
Nec mihi dumtaxat, verum haec quoque cetera turba

Responsi est pariter sitiens, plusquam Indus et Afer
Sit frigentis aquae: cur non te lumina Solis
Trajiciunt, ut nondum ingressum retia mortis?
Sic horum unus ait. Cui mox responsa dedissem,
Ni nova me res abriperet: gens quippe per ignes
Obvia sese his obtulerat, sibi mutua figens
Oscula, quin sistat, contenta hoc pignore amoris.
Tramite non aliter nigranti, atque ordine longo,
Formicae sociis occurrunt, oraque jungunt,
Quaerere uti credas, quo tendant, quidve facessant.
Cumque amplexum solvunt, non cursum ante resumunt
Quam clament alte; nova gens: *Sodoma* atque *Gomorra;*
Atque alia: *est ingressa bovem, coitura juvenco*
Pasiphae. Inde, grues veluti, pars saxa petentes
Riphea, ac pars Marmaricae telluris arenas,
Hae nimium frigus pertaesae, illaeque calorem;
Altera gens vadit, venit et gens altera; flentesque
Ad primum redeunt cantum, et sibi congrua verba,
Accessere mihi, quae me paulo ante rogarant,
Oribus intentis mea verba audire paratae.
Tunc ego, cui bis illorum jam vota patebant:
O Animae, dixi, certae jam pace potiri,
Quandocumque id erit, nec acerba virentibus annis,
Nec senio matura gravi, mea membra reliqui,
At mecum ipse gero cum sanguine et ossibus una:
Sursum eo, ut adquiram lucem: mihi femina Caelis
Dextra favet, per quam vestrum cum corpore montem
Fas mihi adire fuit. Sed sic expleta cupido
Vextra sit extemplo, ut Caeli vos aula receptet
Quod large implet Amor, reliquis magis omnibus amplum,
Dicite, ut haec etiam valeam committere chartis,
Dicite qui vos estis, quaeque illa ad vestra migrantum
Terga cohors. Turbatur uti rudis incola montis
Attonitusque silens, huc lumina vertit et illuc,

Cum, sylvae assuetus, magnam devenerit urbem;
Sic quaeque Umbra fuit. Stupor ut de pectore cessit,
(Magno in corde brevis), quae me prior Umbra rogarat:
Felix, cui per nostras experientia sedes,
Ut melius vitam ducas, adquiritur, inquit,
Obvia quae nos praeteriit jam turba citatim,
Flagitium admisit, per quod regina triumphans
Audivit dici Caesar; Sodomamque proinde
Discedens ait, improperans sibi crimen, ut audis;
Ardoremque auget, perfundens ora rubore.
Flagitium nostrum fuit Hermaphroditus; (4) et inde,
Cum nos humanas leges violare cupido,
Ut bruta, impulerit, sic, nostrum ad dedecus, illam
Dicimus in discessu, quae sub imagine bruti
Concubuit bruto. Iam nunc, quae nostra fuerunt
Crimina, quique sumus, nosti. Si nomina velles
Discere, nec tempus sineret, nec dicere scirem.
De me scire dabo. Guinicellus nomine Guidus
Dicor ego: hic purgor, tempus quoniam ante supremum
Poenituit. Veluti, cum nati morte Lycurgus
Indoluit, sese, ut caram videre parentem,
Gesserunt gemini, commoti pectora, fratres;
Sic ego me gessi, (non ausus surgere tantum), (5)
Ut patris eximium venit mihi nomen ad aures,
Patris nempe mei, atque aliorum, quotquot amoris
Carmina dulcisona ediderunt; ibamque silenter,
Atque sine auditu, illius defixus in ore;
Non autem accessi, metuens ne laederer igne.
Postquam sum visu expletus, me comiter illi
Exhibui; et, quaecumque velit, sum cuncta professus,
Hisce modis, praebere fidem queis cogitur alter.
Talia, respondit, vestigia pectore in imo
Tu mihi defigis, quae nec delere, nec unquam
Sit tenuare potens Lethei flnminis unda.

Sed, si vera refers, mihi dic; quae causa profecto
Te movet, ut mihi tam magnum testeris amorem?
Non unquam laudanda satis, tua carmina, dixi,
Quae tantum vivent, praesens dum vixerit usus. (6)
Frater, hic (ostendens digito) omnes praestitit, inquit,
Materno eloquio, juncto pede sive soluto;
Ac sine jam stulti blaterent, praecellere vatem
Lemosinem (7): plusquam verum, vox imperat illis;
Non arte aut ratione putant, sed murmure famae.
Floruit et Guitton multis laudantibus olim
Donec eum vicit per plures denique verum.
Tu modo, sidereas sedes si tanta facultas
Est tibi ut ascendas, queis Christus praesidet, illi
Funde preces, quas ipse dedit, quoad usque necesse
Est nobis, queis posse ereptum admittere culpas.
His dictis, ut forte locum daret ipse propinquo,
Vanuit in medios ignes, ut piscis in undas,
Ima petens. Paulum, Guidus quam ostenderat, Umbrae
Accessi, ac dixi: mihi res gratissima, qui sis
Scire, erit. Ac ille est contra sic deinde profatus:
Tanta tuis equidem pandit se gratia dictis,
Ut nequeam nolimque meum tibi condere nomen.
Arnaldus (8) dicor: ploro et cano; quippe peractam
Moestus Stultitiam video, gaudensque futuram
Laetitiam, quam spero brevi jam posse potiri.
Per virtutem illam, quae vos deducit euntes
Ad scalae summum, exoro, cum tempus amicum
Adfuerit, nostri memores estote doloris.
Haec fatus, se lustrales abscondit in ignes.
XXVII. Ut cum mane novo vibrat sua lumina terris,
Christus ubi interiit, dum Libram subter Iberus
Labitur, et Ganges nonae calet aestibus horae,
Sol erat, urgebatque diem nox proinde cadentem, (9)
Margine cum ripae laeto sese Angelus ore

Obtulit extra ignem; *mundo sunt corde beati*
Voce canens viva, plusquam det nostra sonorem.
Mox ait: ulterius non est fas ire, priusquam,
O Animae sanctae, vos flamma momorderit: euge,
Hanc intrate alacres; neu surdis auribus este
Ad cantum hinc missum. Sic, cum prope venimus, inquit.
Expavi his dictis; ac sum formidine factus,
Non secus ac fovea vir qui defigitur alta;
Consertis manibus steti, et ignem ardescere cernens,
Ante inspecta mihi comburi corpora flammis
Mente revolvebam. Versantem talia fidi
Respexere duces. Potes hic perferre dolorem,
Non mortem, mihi Doctor ait: reminiscere, fili:
Geryonis si te potui traducere dorso,
Quid faciam propiore Deo? Si mille per annos
Haec te, crede quidem, cohiberet flamma, nec unum
Eriperet crinem. Si falli reris, adesto,
Experiare manu, atque tui velaminis ora;
Eja age pone metum, teque huc interritus infer.
Ast ego perstabam firmus, mentique repugnans
Ipse meae. Ut monitus se fundere vidit inanes,
Turbatus paulum: fili, nunc prospice, dixit;
Hoc tibi transmisso spectabitur igne Beatrix.
Qualis, ab audito perculsus nomine Thisbes,
Pyramus in media reseravit lumina morte,
Atque illam inspexit, cum candida mora colorem
Induerunt nigrum; sic protinus omnis abivit
Tunc mea durities, audito nomine, in alto
Quod mihi perpetue manet indelebile corde;
Ac me ad Doctorem verti. Quid sistimus ergo?
Concutiens ait ille caput; mox, ore renidens,
Ut fit cum puero, capitur qui munere pomi,
Subrisit; seseque prior conjecit in ignem;
Exorans Statium, ut retro vestigia ferret,

Qui sese in medio prius inter utrumque ferebat.
Ingressus flammam, tanto fervore teneri
Undique me sensi, tantoque urebar ab aestu,
Ut bullens vitrum, quaerens solamen, adissem.
Dux mihi dulcisona praebebat voce levamen,
Usque Beatricem memorans; atque: illius ora
Cernere jam videor, dicens. Ducebat euntes
Adversa vox parte canens; illique meantes
Intenti, exterius, quo dat conscendere trames,
Venimus. Hic medio resonans vox lumine: *adesto,*
Gens, dixit, *dilecta Deo.* Mihi vivida vicit
Lux oculorum aciem, nequiique intendere visum.
Sol cadit, inde inquit, post quem jam vespera surgit:
Ne mora vos segnis teneat; vestigia raptim
Tendite, cum nondum tenebris involvitur aer. –
Celsa per incisam ducebat semita rupem
In partem, qua Sol radiis mihi terga feriret
Occiduus. Vixdum paulum processimus alte,
Sensimus ex cessante mei tum corporis umbra
Quod Sol deciderit. Nostrum tum quisque, priusquam
Nox unam formam immenso protenderet orbi,
Stravit membra gradu: plus namque ascendere vires
Natura fuerant montis, quam infracta cupido.
Ut grex caprarum, qui pridem celsa protervus
Per juga reptabat, placide dehinc stratus in umbra,
Fervescente die, depastas ruminat herbas,
Dum pastor, baculo innixus, recubantibus adstat;
Utque gregis custos, procul a praesepibus absens,
Ducit apud pecudes noctem, ne forte ferarum
Has petat incursus: sic nos decumbimus illic;
Illi pastorum similes, atque ipse capellae;
Rupe cava hinc illinc septi. Vix inde videri
Quid poterat; sed, prout poterat, fulgescere Caelo
Sidera, plus solito magna atque corusca, videbam.

Haec mihi cernenti, ac versanti plurima mecum
Incubuit somnus; somnus, qui saepe, priusquam
Eveniant, homini praesagus facta revelat.
Tempore, quo primum Veneris (puto) sidus ab oris
Tollitur Eois, igne ardens semper Amoris,
Egregia mulier forma atque virentibus annis,
Visa mihi est pictos per campum carpere flores,
Ac dare, cantando, has voces: quo nomine dicor
Discere siquis avet, sum Lia, et brachia tendo,
Ut mihi componam sertum: me hic floribus orno,
Ut mihi complaceam ad speculum. Germana moratur
Ad speculum semper Rachel, nescitque revelli.
Me juvat ornari, juvat illam lumina pasci;
Illam spectandi, me detinet ardor agendi. —
Jamque redux Coelo lux matutina rubebat,
Quae peragre advectis hoc gratior aethere fulget
Quo propius venere domum: nox omnis abibat,
Ac somnus cum nocte simul mea membra reliquit.
Surrexi, aspiciens jam surrexisse Magistros.
Dulce illud pomum, quod per tot sedula ramos (10)
Quaerit gens hominum, ut tua sit satiata cupido
Plene hodie efficiet; dictis est talibus usus
Tunc mihi Virgilius. Nunquam tam grata fuerunt
Munera, et unde mihi manaret tanta voluptas.
Tam me cepit amor, tamque impulit ire voluntas,
Ut magis atque magis semper succrescere plantis
Sentirem pennas. Cum scalam evasimus omnem,
In me Virgilius defixit lumina, et inquit:
Tempus habentem ignem, et nullum sibi tempus habentem,
Me duce, vidisti, fili: nunc vectus es illuc,
Cernere quo ulterius non est mihi facta potestas:
Huc ego te ingenio deduxi atque arte magistra,
Nunc tibi dux esto, tua sit dux ipsa voluntas.
Nulla tibi via jam superest nec celsa nec arcta.

Aspice Solem illuc media tibi fronte micantem,
Aspice odoriferos flores herbasque nitentes,
Et quas sponte parit tellus haec dedala plantas.
Dum veniat, quae, fletu oculos suffusa decoros,
Ad te me misit, potes hic considere, et ire
Per virides tractus. A me non amplius ullum
Expectes monitum: tua mens nunc libera, sana,
Ac recta est: crimen foret illi obsistere velle;
Teque ideo dominumque tui regemque corono.
XXVIII. Undique praecupidus divinam visere sylvam.
Quae, densa, ac viridis, frangebat tela diei,
Haud mora, deserui ripam; sursumque ferebar
Per campum lentus, qui suaviter undique olebat.
Aura mihi dulcis, mutari nescia, frontem
Non magis afflabat, flamen quam lene favonî;
Qua frondes tremulae in partem, quo projicit umbras
Mons primas, se curvabant, non taliter autem
Ne volucres dulci mulcerent aethera cantu;
Quae, ramo innixae, gaudebant aeris haustu,
Laetisonam edentes vocem; cui consona motae
Murmura reddebant frondes; ut saepe Ravennae
Pinea sylva sonat, cum solverit Aeolus Eurum.
Jam tantum progressus eram, ne cernere possem
Unde ipse intraram, tenuis cum rivus euntem
Impediit; qui, lene fluens, in margine natas
Flectebat virides herbas, laevamque petebat.
Quicumque est terris lymphae purissimus humor,
Limosus foret, huic siquis componere vellet;
Qui nihil abscondit, quamvis se fuscus in umbra
Perpetua volvat, radios quo immittere nullos
Nec Titan nec Luna queunt. Vestigia pressi,
Atque amnem transivi oculis, tam florida ut illic
Aspicerem varioque adeo loca picta colore.
Ut res quondam oculis offert se mira repente,

Quae mentem rapit, et curas procul amovet omnes;
Solivaga haud aliter mulier mihi visa canoros
Est dare voce sonos, ac lectos carpere flores,
Unde renidebat tellus. O candida Virgo,
Dixi, quae quidem amore cales, si credere par est
Vultu, qui dat saepe animi notescere sensus,
Ne, precor, huic pigeat paulum succedere ripae,
Ut, quas ipsa canis, valeam deprendere voces.
Te mihi cernenti Proserpina mente recurrit,
Qualis erat, qualique loco, quo tempore natam
Amisit genetrix, ac vernos filia flores. –
Ut, sibi collectis pedibus, se femina vertit
In choreis, plantam vix visa abjungere planta;
Haud secus in variis vertit se floribus illa,
Virginis assimilis, oculos flectentis honostos.
Annuit oranti, tantumque accessit ad oram,
Ut mihi fas fuerit cantus deprendere sensum.
Postquam autem venit, qua rivus gramina lambit,
Tollere dignata est oculos. Non lumina tantum
Jam Veneris fulsisse reor, cum cuspide nati
Fixa fuit, non matrem equidem fixisse volentis.
Ridens adversa iu ripa vario illa colore
Carpebat flores, quos dat sine semine tellus.
Nos tantum trinis dirimebat passibus amnis.
Non sic Hellespontum, quo sibi puppibus olim
Fecit iter Xerses (fraenum immortale superbis)
Leander, Sexto quod Abidum abscinderet, odit,
Ut rivum hunc ego, quod mihi non patuisset eunti.
Hac estis vos sede novi, tunc incipit illa:
Suspicio vos forte tenet, quod me edere risum
Cernitis hac terra, humanis quae gentibus olim
In nidum concessa fuit; sed Davidis hymnus
Me delectasti illustrat, dubiumque resolvit.
O qui prae reliquis incedis, meque rogasti,

Dic, si quid jam scire cupis; nam prompta petenti
Ut referam veni, ac mentem caligine solvam.
Rivus aquae sylvaeque sonus, contraria dictis
Sunt, ego respondi, quae jam mihi facta fuerunt.
Rerum, quas tu miraris, tunc rettulit illa,
Evolvam causas, abigamque ex mente tenebras.
Immensum Deus ille bonum, qui complacet uni
Ipse sibi, dedit esse homini, rectumque creavit,
Atque locum hunc tribuit pro aeternae pignore pacis;
(Ob scelus ille suum non longum hic vixit; et amens
In planctum ac fletum, risumque et gaudia vertit);
Utque ex turbinibus, quos terrae undaeque vapores
Efficiunt, aestu attracti, ne deinde veniret
Quid nocumentum homini, montem hunc tam erexit ad astra,
Atque ideo ex illa est liber, qua clauditur, ora.
At, quia cum primi rapida vertigine Coeli
(Ni quidquam impediat cursum) pervolvitur aer,
Impetus ille nemus, quod tollitur aere puro,
Verberat; ac densae respondent murmure plantae.
Tunc agitata suis implet virtutibus arbos
Aera, et has circum commotus decutit aer.
(*) Altera propterea tellus, (prout commoda Coeli
Temperies, glebaeque humor), virtutibus hisce
Deinde gravis, parit, et varias dat surgere plantas.
Hoc autem audito, non est mirabile, vestra
Siquid terra oritur noto sine semine germen.
Et te scire volo, qua nunc tellure moraris,
Esse hanc seminibus plenam, fructusque creare,
Quales nulla plagis vestratibus educat arbos.
Non haec, quam cernis, de vena prosilit unda,
Quam vapor instauret, gelidos conversus in imbres,
Ut quae decrescunt aut crescunt flumina cursu:
Fonte scatet solido ac certo; atque huic diva voluntas

(*) *Nostra*

Suppeditat, quantum in partes dimittit utrasque.
Ex hac parte fluit, pariens oblivia culpae,
Ex alia in memorem mentem benefacta reducens;
Hic Lethes, aliaque Eunies parte vocatur:
Tantum vero juvant, quando gustantur utrique.
Cum nempe hinc primum, posthac gustatur et illinc:
Dulcior istorum est omnes super unda sapores.
Quamvis hisce tibi penitus satiata cupido
Esse queat dictis, non attamen ipsa silebo;
Neĉ te, si quidquam promissis amplius addam,
Posse pigere reor. Qui sunt antiquitus auream
Commenti aetatem, per somnia forte poetae
Hunc videre locum: humana hic fuit integra radix,
Hic ver perpetuum, fructusque hic omnis; et isti
Sunt porro, a cunctis memorati, nectaris amnes.
Sic ea. Respexi Vates, ambosque notavi
Extremas voces risu excepisse loquentis.
Ad pulcrum hinc rursus direxi lumina vultum.

XXIX. Cum finem inposuit dictis, ut cuspide Amoris
Saucia cor mulier, cantum rursum edere coepit.
Felices, deleta quibus sunt crimina, dicens.
Ac, veluti Nymphae, nemora inter frondea solae
Ibant, illa petens, haec Solis lumina vitans;
Sic, fluvium contra, per ripam se illa ferebat;
Ac modicos modicis adversa ego passibus ora
Virginis aequabam gressus. Ejusque meique
Haud centum fuerant passus, cum se utraque torsit
Ripa, atque in partem rursus sum versus Eoam.
Huc quoque vadentes, non multum tendimus ultra,
Cum mulier, conversa mihi: circumspice, et audi,
Frater, ait. Totamque simul clarescere sylvam
Lumine conspexi ingenti; quare ipse putavi
Ambiguus, subito diffindi fulgure coelum;
At, quoniam hoc cessat, simul ac per inane cucurrit,

Id vero usque magis clarumque ardebat et amplum,
Mente sub incerta: quid sunt haec talia! fabar.
Concentus late dulcis per luce micantem
Aera currebat, quo circum sylva sonabat.
Fervor tunc me corripuit reprehendere primae
Flagitium matris: quae, dum tellusque polusque
Parérent, muliercula sola, recensque creata,
Noluerit nescire aliquid; quod ni ausa fuisset,
Deliciis illis multoque diutius essem
Ac prius affectus. Per tot praeludia gaudî
Dum feror aeterni, cupidus meliora potiri,
Sub virides ramos, quasi flamma, incanduit aer;
Quodque melos fuerat, cantum cognovimus esse.
O, si pro vobis jejunia, frigora, noctes
Sum vigiles passus, mihi nunc, Heliconides almae,
Reddite mercedem, cogit quam causa rogare:
Nunc mihi Castalius fundat fons largiter undas,
Adjuvet Uranie, nec non et turba Sororum,
Grandia concipere et mente, atque expromere versu.
Ulterius paulo, falsa sub imagine, propter
Oblongum spatium, septem aureas surgere vidi
Arboreas plantas: cum tam prope venimus autem,
Ut quod commune est, longumque per intervallum
Eludit sensus, formam non amplius ullam
Abdiderit; quae dat verum penetrare facultas
Candelabra esse, ac voces Osanna canentes
Ilicet agnovit. Funalia lumine claro
His super ardebant; quo nunquam Luna, sereno,
Nocte super media, medioque in mense, refulget.
Obstupui, ac me Virgilio, confusus et anceps,
Obverti: stupor hunc etiam comprenderat ingens.
Rursus deinde altis direxi lumina rebus;
Atque has nos versus tam lente incedere vidi,
Ut citius soleant nuptum se ferre puellae.

Me tunc increpuit mulier: cur semper inhaeres
His facibus? nec mentem adhibes, quae pone sequuntur?
Tunc gentes vidi his retro, ut ductoribus, ire
Vestibus in niveis: haud nostro hic candor in orbe.
Unda, repercussu septeni luminis ardens,
Laevum humerum mihi reddebat, si forte tuerer,
Ut speculum. Cumque inde, mea progressus in ora,
Illuc deveni, quo tantum abjungeret amnis,
Constiti, ut aspicerem melius; vidique coruscas
Ante meare faces, caelumque relinquere septem
Desuper ornatum zonis; quae tractibus omnes
Peniculi similes, gestabant quaeque colores,
Queis sibi Sol arcum, ac cinctum sibi Delia format.
Quae retro erant zonae, plusquam mea lumina tendant,
Surgebant alte; atque latus quae utrumque tenebant,
Distabant bis quinque gradus; nisi falsus opinor.
Æthere sub tam claro, tamque sub aere puro,
Bis deni quatuorque senes ex ordine bini
Ibant, alba quibus cingebant lilia frontem.
Adami inter natas sis benedicta, canebant
Omnes; *sit tua in aeternum benedicta venustas.*
Postquam gens haec praeteriit, ceu sidera Caelo
Sideribus subeunt, sic deinde animalia sese
Quattuor obtulerunt, viridi redimita corona:
Sex, plenaeque oculis, quales olim Argus habebat,
Cuique inerant alae Varias describere formas
Non ultra adjiciam, lector; me impendia quippe
Sic urgent, ut non valeam hic tibi prodigus esse.
Ezechiel legito, cui quondam visa fuere
Cum vento et nube ac igni descendere ab Arcto.
Qualia ibi invenies, sic sunt mihi visa; sed alas,
Non quas is vidit, sed quas deinde Joannes.
Hisce triumphalis mediis basterna, duabus
Vecta rotis, inerat, quam Gryps cervice trahebat.

Inter tres ac tres zonas mediamque, levabat
Is geminas sublime alas, quin laederet illas:
Nemo alte erectas potuisset prendere visu.
Aurea erant illi membra, ales quatenus esset:
Commixtus rubro velabat caetera candor.
Non equidem tali curru jam Roma superbos
Scipiadum Augustique dedit splendere triumphos:
Cederet huic currus Solis, qui devius arsit,
Indulsit precibus terrae cum Juppiter aequus.
Trina rotam ad dextram laetas festiva choreas
Ducebat mulier: quarum sic una rubebat, (11)
Ut par igni esset; viridi quasi facta smaragdo
Altera erat; nivibus similis modo tertia lapsis.
Nunc rubra, nunc candens praeerat; reliquaeque jubentis
Ad nutum, sese rapide lenteque movebant.
Quattuor ad laevam saltabant, murice tectae, (12)
Unius ad normam, tria lumina fronte gerentis.
Post totum hoc agmen geminos procedere vidi
Insignes gravitate senes, sed dispare cultu;
Alter enim Hippocratis sese ostendebat alumnum,
Quem generi humano auxilium Natura creavit;
Oppositam sibi curam alter monstrabat inesse,
Ensis enim illi inerat; qui me cis terruit amnem.
Quattuor hinc umiles vultu, solumque venire
Post omnes vidi seniorem, lumina dulci
Sopitum somno, argutoque ore vigentem.
Septem his vestis erat, qua primum incesserat agmen,
Candida: non autem gestabant lilia fronte.
Gestabant vivasque rosas floresque rubentes;
Si procul haud multum aspiceres, ignescere flammis
Credideris frontes. Cum se mea currus ad ora
Detulit, increpuit tonitru; totumque repente
Constitit, ut jussum, primis cum insignibus agmen.
XXX. Ut Coeli primi Septemtrio (nescius ortus (13)

Aeque ac occasus, celari nescius ulla,
Ni scelerum, nebula; proprio qui munere fungi
Illic quemque dabat, tanquam per marmoris aequor
Dirigit inferior puppes attingere portum),
Constitit, ad currum, velut inventura quietem,
Gens ea, quae Gryphum jam venerat inter et illum, (14)
Confluxit. Quorum unus, tanquam missus Olympo:
De Libano, ter dulce canens, *pulcherrima*, dixit,
Sponsa, veni; atque alii clamabant uniter omnes:
Sponsa, veni. Quales, cum vox extrema sonabit,
Exsurgent tumulis, redivivaque membra Beati
Gratantes, laeto complebunt aethera cantu;
Haud aliter curru, ad vocem cantantis, ab alto
Centum perpetuae vitae nuncî atque ministri (15)
Extulerunt sese: *benedictus*, quisque canebat,
O qui ades; ac, flores jaciens circumque supraque,
Clamabat pariter, *manibus date lilia plenis.*
Vidi ego, mane novo, roseo fulgere colore
Eoam Coeli partem, dum caetera late
Lumine caeruleo splenderent picta sereno,
Et tenui nebula tectum sic surgere Solem
Ut longum possent oculi perferre nitorem.
Sic florum in nimbo, manibus qui jactus in auras
Angelicis, extra currum recidebat et intus,
Velo tecta caput niveo, redimitaque oliva,
Vestibus in rubris, viridi circumdata amictu,
Visa mihi est mulier. Mea mens, quam ex tempore tanto
Haud stupor illius confregerat ore trementem,
Quanquam non oculis nossem, virtute latenti,
Quae ex illa effluxit, veteris vestigia flammae
Continuo sensit, simul ac mihi lumina virtus
Perculit, a teneris quae me succenderat annis.
Protinus ad laevam vertor, quo more parenti,
Si timor aut dolor inciderit, convertitur infans,

Virgilio ut dicam: sanguis mihi contremit omnis;
Agnosco agnosco redivivae semina flammae.
Virgilius sed nusquam aderat: discesserat ille
Virgilius, pater ac ductor; dulcissimus ille
Virgilius, cui me mandaverat illa tuendum.
Quam prima amisit mater, quaque ipse fruebar,
Non valuit regio, ne, quae ros terserat, ora
Rursus turparent lacrymae. Fletum edere, Dantes, (16)
Parce ob Virgilii abscessum, fletum edere parce;
Majori est flendum causa. Ceu ductor in altam
Aut proram, aut puppim, quondam se nauticus infert,
Ut reliquis operam exercentes navibus illinc
Prospiciat, stimulatque suo bene munere fungi;
Sic meo ut audito converti nomine vultum,
(Quod rerum ob seriem sum commemorare coactus)
Ex currus laeva mulier, quam in turbine florum
Ante ego conspexi angelico, mihi vertere visa est
Lumina cis ripam; quamvis, quod vertice candens
Pendebat velum, praecinctum fronde Minervae,
Os cerni haud sineret. Regaliter ore protervo
Sic deinde est orsa; ut valido sermone perorans,
Quae robusta magis retur, postrema relinquit.
Fige oculos, mihi fige oculos; sum ego, sum ipsa Beatrix.
Quomodo dignatus tandem es tu accedere monti?
Numquid nescieras mortalem hic esse beatum?
Lumina dejeci nitidas in fluminis undas.
At, me ibi conspiciens, vicina in gramina verti:
Tam fuit ingenti mihi mens onerata pudore!
Ut mater nato, sic est tunc illa superba
Visa mihi: improperantis enim pietatis amarus
Est sapor, ac latices absinthî porrigit ori.
Vix ea conticuit, cecinit chorus aliger hymnum
In te speravi, *Domine*, usque *pedes*; ac deinde quievit.
Ut nix arboribus, juga summa per Appennini,

Fit gelu, ab Arctois sufflata coactaque ventis;
Hinc fluit, in sese penetrans, cum ventus ab Afris
Efflavit terris, ut cera resolvitur igne:
Sic ego tum carui lacrymis gemituque, priusquam
I cantum ediderint; semper qui voce sequuntur
Quos dant siderei concentus aetheris orbes.
At, postquam audivi numeris ex dulcibus, illos
Indulgere mihi; et quianam, quasi dicere, torques
Sic miserum, mulier? mea quae praecordia circum
Adstiterat, glacies, tum spiritus undaque facta,
In fletum ac gemitus oculis prorupit et ore.
Stans illa in currus laeva, sic deinde secuta est,
Aligeris conversa piis: Noctuque diuque
Vos tenet aeterni vigiles lux alma diei,
Nec quod secla gerunt sopor aut nox occulit unquam;
Major proinde mihi responsum est reddere cura,
Quod bene percipiat, qui flet trans fluminis undas,
Ut par et culpae mensura sit, atque doloris.
Non tantum coeli influxu, qui semina certum
Dirigit ad finem, prout sit nascentibus astrum;
Divinae sed opis quoque, quae trahit inde vapores
In pluviam, quo nostra acies accedere nescit,
Hic, ineunte aevo, tali fuit indole pulcra,
Ut vi naturae ipse suae se moribus aureis
Induere, ac miros potuisset reddere fructus.
Verum fit tanto magis hispidus atque malignus
Semine cum tristi campus, cultore carendo,
Quo vigor est terrae major. Primum ore decoro
Hunc ego sustinui; ac, juvenilia lumina monstrans,
Per rectum ducebam iter: at, cum deinde secundae (17)
Aetatis tacto mutavi limine vitam,
Hic, me distituens, alii se dedidit amens.
Terrenos exuta artus, cum spiritus essem,
Ac magis excellens forma, et virtutibus aucta,

Illi grata minus, minus illi acceptaque veni;
Per falsum se misit iter, simulacra bonorum
Vana sequens, plenamque fidem praestantia nunquam.
Numinis afflatum implorans, per somnia frustra
Atque aliter monui; fuit illi tantula cura!
Atque adeo in praeceps iit, ut via nulla salutis
Jam foret, inferni nisi gentem ostendere regni.
Inferni proin limen adî, perfusaque fletu
Ductorem hic illum petii, qui detulit istuc.
Rupta essent decreta Dei, transmittere Lethen
Si foret huic fas, atque dapem hanc haurire liceret, (18)
Symbola quin praecat lacrymarum, quas dolor ingens
Exprimat ex oculis, ut poenituisse patescat.
XXXI. O qui trans fluvium sistis, mihi deinde loquelam
Intendens punctim, quae tam fuit aspera caesim,
Nil cunctata, inquit: sunt, sunt haec omnia vera?
Est equidem fatearis opus. Tam pectore virtus
Omnis erat confusa mihi, ut vox reddere verbum
Sumpserit, ac prius abstiterit, quam erumperet ore.
Illa, parum hoc passa: ecquid, dixit, mente volutas?
Da mihi responsum; nondum nam crimina mente
Delevit Lethe. Stupor ac metus edere labris
Impulit assensum; sed quem deprendere visu
Esset opus. Ceu, tensa nimis, ballista refringit
Et chordam atque arcum, metamque emissa sagitta
Segnius attingit: tanto sub pondere sic sum
Tunc ego disruptus, fletum ac suspiria fundens;
Et vox, deficiens, prodivit debils ore.
Exin illa sequens: cum te mea cura vocaret
Ad bonum amandum, trans quod nil optabile prorsum est,
Quae foveae obstiterunt?, quae devinxere catenae,
Ut tibi spem raperent ultra producere gressum?
Quas tibi delicias aliae aut conpendia vultu
Ostendere suo, ante illas ut fervidus ires? (19)

Post magnum gemitum, vocem vix pectore traxi,
Labraque vix hanc ediderunt. Meo ab ore remotus,
Flens dixi, ut tuus est vultus, sub imagine falsa
Res mihi praesentes tulerunt per devia gressus.
Atque ea: si tegeres, quam tu nunc ipse fateris,
Si inficias ires, pariter tua culpa pateret;
Ille etenim novit, qui perspicit omnia, judex;
At, cum flagitium delinquens ipse fatetur,
Contra aciem ferri in nostra rota volvitur aula. (20)
Ut tamen et pudor erroris sit major, et inde
Cum vocem audieris Sirenum ut fortius obstes,
Abjice jam semen fletus, ac sedulus audi
Quomodo te adversam in partem mea membra sepulta
Mittere debuerant. Tibi gratum et amabile nunquam
Ars aut Natura obtulerunt, ut membra decora
Queis induta fui, quae nunc sunt putrida terra.
Propterea, si morte mea te summa voluptas
Defecit, quae res animum mortalis amore
Debuerat vincire tuum? Ex vulnere primo
Doctum vanarum rerum, te ad sidera mecum,
Quae non talis eram, sursum transferre decebat:
Non tibi cunctari pennas, ut plura maneres
Vulnera, debuerat virgo, breviterque fruenda
Res alia instabilis. Bis terque volucris ad ictus
Nata recens manet; at, cum pennas induit omnes,
Nequidquam aut tela aut retes tenduntur eidem.
Ut taciti, dejecti oculos, plenique pudore,
Adsistunt pueri monitoris vocibus, atque
Admissa agnoscunt, ac poenituisse fetentur;
Tunc ego talis eram. Si te mea verba dolentem
Efficiunt, tunc illa inquit, barbam erige: visus
Vividius moerere dabit. Radicitus Euri
Aut Boreae flabris ilex impulsa sonoris
Promptius eruitur, quam tunc ego voce jubentis

Extulerim mentum, et, quoniam me poscere vultum
Per barbam voluit, bene sensi quale lateret
Virus in hoc dicto. Postquam faciem ipse levavi,
Angelicam turbam jactu desistere vidi;
Luminibusque meis titubantibus illa biformi
Visa est versa ferae. Quamvis velamine tecta,
Ac procul abstaret viridem trans fluminis oram,
Paruit antiqua mihi se formosior ipsa,
Plusquam prae reliquis fuerat jam viva puellis.
Tunc me poenituit: quod plus me illexit amore,
Plus ego tunc odi. Talis mihi corda momordit
Cognitio, ut victus caderem; qualisque fuissem,
Scit tantum, quae causa fuit. Cum rursus in artus
Cor mihi restituit vires, quae carpere flores
Visa mihi fuerat mulier, me desuper ipsam
Adstare aspexi: mihi adhaere, ajebat, adhaere.
Gutture me tenus in medias deduxerat undas;
Ac, me pone trahens, liquido super amne meabat,
Non secus ac radius percurrit stamina telae.
Fluminis adversae venit cum proxima ripae
Me asperges late auditum est tam dulce sonare, (21)
Non modo ne valeam verbis describere, verum
Nec meminisse queam. Pandit tunc illa lucertos;
Amplectensque caput, vitrea me mersit in unda;
Atque hanc haurivi. Mox extulit, atque madentem
Quattuor exhibuit choreas ducentibus; illaeque
Obtexere suis brachiis. Nos sidera Coelo, (22)
Hic Nymphae sumus: ante etiam quam membra Beatrix
Terrena indueret, famulas huic Numen amicum
Nos dedit: illius nos te ducemus ad ora;
Lumen at ut videas, oculis quod in illius ardet,
Est opus ut tibi tres aliae, queis visus acutus
Est magis, exacuant aciem. Dixere canentes;
Atque ferae ad pectus postquam me deinde biformis

Duxerunt, stabat nobis ubi versa Beatrix;
Optatis animum, addiderunt, obtutibus exple;
Cerne faces, Amor unde tibi sua spicula torsit. –
Plurima tunc mihi, plusquam ignis flammata, cupido
Obstrinxere oculos oculis lucentibus, ipsum
Jugiter in Gryphum fixis. Ut Solis imago
In speculo, sic his Gryphi radiebat utrisque
Effigies, nunc illa aquilae, nunc illa leonis.
Conjice jam, lector, stupor an me invaserit ingens
Cum Gryphum integrum, atque oculis parere viderem
Dividuum. Dum laetitia plenusque stupore
Gustarem escam, quae, explendo, magis ipsa sititur,
Tres atiae adstiterunt, supremo ex ordine ab actis
Visae, atque angelica comitantes voce choreas:
Pande tuo fido, cantabant, pande, Beatrix,
Lumina, qui per iter duxit vestigia longum,
Ut te conspiceret: da, quaesumus, ora videre
Ac tua, quam celas, sit nota secunda venustas. —
Lucis o aeternae splendor, quis palluit unquam
Parnassi sub rupe sedens? quis fluminis undas
Hausit Castalii, cui non caligine septa
Mens fuerit, si qualis eras describere tentet,
Coelum ubi te umbrabat, concentibus aera replens, (23)
Cum te spectari manifesta in luce dedisti?

XXXII. Usque adeo ipse sitim cupidus saturare decennem
Intentis haerebam oculis, ut sensibus essem
Pene carens aliis; reliquarum incuria rerum,
His erat hinc illinc paries; tam prisca beati
Retia vincibant risus! Sed vertere vultum
Sum propere in laevam Nympharum voce coactus.
Intueris, dixere, nimis. Quae ex Sole corusco
Fit caligo oculis fixis, haec lumina paulum
Tunc mea privavit visu. Cum cernere paucam
Dein lucem incepi (paucam, splendoribus illis

Collatam nempe, unde fui per vim ante revulsus),
In dextram conversum agmen, cum Sole reverti
Ante oculos, vidi, ac septem funalibus ipsis.
Tecta velut clypeis, ut tela hostilia vitet,
Sese acies vertit, signumque secuta, revolvit,
Cum non tota queat mutari tempore in uno;
Sic Coeli tunc illa acies, quae se ante ferebat,
Ordine progrediens, transivit tota, priusquam
Curriculus sese, verso temone, moveret.
Continuo ad lapsus Nymphae rediere rotarum:
Gryps currum movit, quin pluma tremisceret ulla.
Ac mulier, quae me ad flumen duxit, Statiusque.
Ac simul ipse, rotam, quę se breviore revolvit
Arcu, subsequimur. Sylvam cultore peragrans
Sic vacuam, culpa illius quae credidit angui,
Angelici ad numerum cantus, vestigia movit.
Post quantum triplici jactu vibrata sagitta
Percurrit spatii, descendit ab axe Beatrix;
Omnium et audivi mussari vocibus *Adam*.
Floribus hinc plantam ac foliis cinxere carentem. (24)
Quo magis haec surgit, magis ardua brachia pandit,
Vertice tam celso, foret ut mirabilis Indis.
Felix, Gryphe, nimis, qui non discindere rostro,
Dulce ori, hoc lignum curas (25); nam viscera quondam
Carpenti hoc torsit. Plantam sic undique circum
Clamabant alii; quibus ales deinde biformis:
Omnis sic est justitiae servabile semen.
Temonem hinc capiens, foetuque ac fronde carentem
Continuo ad plantam traxit, truncoque ligavit
Illius ex secto compactum robore currum.
Sicut in arboribus nostris, cum mixta refulget
Aurea lux Solis nitidis fulgoribus astri
Quod sequitur Pisces, fluidus diffunditur humor,
Unde tument, vestitque novo se quaeque colore,

Ante aliud quam Solis equos exceperit astrum;
Haud aliter, quae nuda fuit, tunc planta revixit;
Plus violae, atque rosae minus, exornata colore. (26)
Non ego deprendi, nec terris editur hisce
Quem cecinit gens illa hymnum; nec ferre tenorem
Integrum potui. Si pingere carmine possem
Quomodo crudeles, cum de Syringe canentem
Audirent, oculos clausit dulcedine somnus,
Queis nocuit vigilare nimis; me quomodo dulcis
Tum cepit somnus, pictoris more referrem,
Qui pingit, subjecta oculis exempla secutus.
Hoc pingant, quicumque velint; ego deferor ultra.
Vivida me lux sopitum discussit, et unâ
Vox mihi dicentis: quid cessas? abjice somnum.
Ut, visum (27) mali flores (felicibus explet
Quae Superos pomis, et connubialia semper
Dat Coelis epula) adducti, mox voce, potenti
Rumpere majores somnos, rediere vocati
Discipuli tres; ac Mosem et Tesbiten abisse
Videre, atque ipsum vestes mutasse Magistrum:
Sic ego tum redii e somno; atque adsistere cernens
Quae mihi dux fuerat propter jam fluminis oram:
O ubinam, dubius dixi, mihi fare, Beatrix?
Arboris illa sedet, retulit, sub fronde recenti,
Atque ipsum ad truncum: circumstant, aspice, Nymphae.
Post Gryphum reliqui sursum vestigia tendunt,
Carmina cantantes plus dulcia plusque profunda.
Nescio num plura edidit: illam quippe videbam
Quae mentem reliquis prohibebat vertere rebus.
Sola toro in viridi ac vera tellure sedebat,
Ut custos plaustri, quod Gryps plantae ante ligarat:
Cum facibus, quas non Aquilo restinguit et Auster,
Septem circum aderant Nymphae. Hic, mihi fata Beatrix,
Sylvanus brevis, inquit, eris, sed tempus in omne

Civis eris mecum, quam Christus dirigit, urbis:
At, male viventi ut mundo auxilieris, in ipsum
Tende oculos currum; et quidquid conspexeris, olim
Cum fuesis terris, scripto mandare memento.
Dixit. Ego, illius mandata facessere promptus,
Quo fueram jussus, mentemque ac lumina verti.
Non unquam tanto densis ex nubibus ignis
Impete praecipitat, cum decidit imber aquarum,
Fusus ab aetheria, quae surgit celsior, arce;
Ut ruit in plantam praeceps Jovis armiger ales; (28)
Frondesque ac flores, discisso cortice, rupit;
Vi currum incussit magna; quare ille, carinae
Est similis versus, quam nunc agit unda sinistrum
Nunc latus in dextrum. Inde, dapum jejuna bonarum,
In fundum currus vulpes irrupit; at illi (29)
Mille mea objiciens mulier mala facta, fugavit
Tam propere, quantum poterant sine carnibus ossa.
Calle remensa vias, per quam jam venerat, inde
Regina alituum rursus descendit in arcam,
Atque suis pennis indutam, avecta, reliquit: (30)
Qualis et ex animo prorumpit moesta dolenti,
Vox ait ex Coelo: o mea, quam male, cymba, gravaris!
Inter utramque rotam mihi visa dehiscere terra
Hinc fuit; atque exire draco, qui sursus iniquam (31)
Per currum inseruit caudam, quam deinde reducens
In morem vespae, stimulum retrahentis acutum,
Ex fundo abstraxit partem, atque vagatus abivit.
Quod fuit hinc reliquum, vivax ut gramine tellus,
Indutum est pennis, quas mens fortasse benigna (32)
Tradidit; hisque rotae geminae et temo undique tectus
Est citius, quam quis gemitum prorumpat ab ore.
Currus, ita inversus, septem capita edidit; unum (33)
Per quodcumque latus: tria sunt temone recepta.
Trinis, more boum, surgebant cornua bina;

Unum inerat quatuor: monstrum haud tale extitit unquam.
Hoc super, ut celso surgens arx monte, sedebat,
Ore procax, meretrix, lascivaque lumina vertens. (34)
Tamquam ne sibi rapta foret, huic proximus ingens (35)
Stabat mole gigas Inter se mutua quondam
Oscula figebant; at, cum mihi verterit illa (36)
Lascivos oculos, illam de vertice ad imos
Verbere percussit talos crudelis amator. (37)
Suspicione dehinc ac multa percitus ira
Dissoluit monstrum, ac sylvae per devia traxit: (38)
A meretrice novaque fera me sylva diremit

XXXIII. *In tua, sancte Deus, venerunt atria gentes,*
Quattuor ac tres alternis coepere canentes
Cum lacrymis Nymphae; atque illis intenta Beatrix
Sic aderat moerens, ut paulo tristior olim
Ante crucem fuerit Christi flens funera Mater.
Postquam desierunt cantum, potuitque profari,
Erexit sese, vultumque accensa decorum,
Assimis flammae: *dilectae*, est fata, *sorores*,
Jam tempus modicum, nec erit me visere vobis;
Mox iterum modicum, et vos me spectare licebit. (39)
Septem hinc praemisit Nymphas, ac me Statiumque
Nympham et florilegam nutu post vadere jussit.
Nec denos reor isse gradus, cum fixit ocellos
Versa meis oculis, ac vultu dixit amico:
Adpropera, atque accede mihi, ut, si eloquar, aures
Vocibus intendas melius. Quod jusserat, egi
Ac tunc illa mihi: frater, cur quaerere quidquam
Non audes, mecum veniens? Velut accidit illis,
Qui, nimium veriti, majorum ante ora loquentes,
Vix proferre queunt haerentia gutture verba;
Et mihi tum sic evenit; qui, voce locutus
Abrupta: tu, Diva, mihi quod proficit, et quo
Scis egeam, dixi. Atque ea: te formidine solvas

Atque pudore volo, ne verba deinde loquaris
Vir velut in somnis. Currus, quem ruperit anguis,
Jam fuit, ac non est (40); hujus sed criminis auctor
Compertum certumque habeat, quod Numinis ultrix
Intrisum vino panem non ira timescit. (41)
Non semper volucrum regina haerede carebit, (42)
Quae pennas curru dederit, quibus obsitus ille
Est monstrum ac praeda hinc factus. Jam praescia cerno
(Atque ideo hoc narro) tempus bona sidera amicum
Volvere, quod mora nulla ac nullus detinet objex.
Quingenti atque decem et quinque alto a Numine missus, (43)
Hanc moecham interimet, concumbentemque gigantem.
Forte meus sermo, Themidis vel Sphingis ad instar,
Non tibi persuadet; nam mentem ambagibus obdit.
Facta patere dabunt, et erunt quasi Najades, istud (44)
Quae, pecude ac segete intactis, aenigma resolvent.
Haec tu mente nota; eque meo velut excipis ore,
Nuntius inde refer vitam ducentibus illam,
Quae ad mortem est cursus. Cum scribas, quomodo plantam
Videris, haud sileas, quae bis nunc passa rapinam est. (45)
Vellere quicumque hanc ausit, vel scindere quidquam,
Ille Deum contra gestis blasphemia torquet, (46)
Qui sibimet sanctam propriosque creavit in usus.
Millia plus quinque annorum qui hanc ore momordit (47)
Primus homo in poena desiderioque peregit, (48)
Illum optans, morsum qui se punivit in ipso.
Obdormis certe, si causam attingere nescis,
Cur tantum assurgat, cur et sit vertice versa.
Ni ex curis vanis, velut unda ex fluminis Elsae, (49)
Mens tua duruerit, fueritque his blanda voluptas,
Pyramus ut moris, quae mutavere colorem;
Justitiam agnosces Domini, tot imagine rerum
Qui hanc vetuit laedi. At, quoniam lapidescere mentem
Ipsa tuam cerno, et peccato tinctus hebescis,

Dictorumque jubar nescis haurire meorum:
Haec volo, ni scripta, at saltem tibi pectore in imo
Picta geras, causam nimirum propter eamdem,
Qua baculus fertur palmarum fronde revinctus. —
Cera velut formam, qua sit signata sigillo,
Inqui ego, quae memoras, servabo in corde reposta.
At quianam tua dicta meum sic ardua captum
Exuperant, ut, quo magis haec deprendere nitor,
Me magis effugiunt? Ut, quam sis ipse secutus,
Doctrinam agnoscas, ait, et mea quomodo possit
Verba sequi; utque etiam discas, absistere vestrum
Tramite divino, quantum alto ex vertice Caeli
Quod citiore suum peragit vertigine cursum,
Terreus orbis abest. — A vobis devius isse
Non memini, dixi; non haec me cura remordet.
Tunc ea subridens: si non reminisceris, inquit,
Te modo Letheos latices potasse memento.
Occultus velut ex fumo dignoscitur ignis,
Sic clare ista tuam retegunt oblivia culpam,
Quod fuerit tua nempe alio conversa voluntas.
Jam nunc clara loquar; dictis ac talibus utar,
Qualia conveniunt septae caligine menti. —
Jamque, magis rutilans, ac pergens lentius, orbe
Sol medio ardebat, qui pro ratione locorum
Ipse etiam hic illic variat, cum protinus instar
Qui turbae dux monstrat iter, si tramite in ipso
Occurrat quid forte novi, vestigia septem
Presserunt Nymphae, finem pallentis ad umbrae,
Qualem protendunt fluviis algentibus Alpes
Tegmine ramorum, nigranti fronde comantum.
Ante illas mihi sunt visi, uno ex fonte fluentes,
Tygris et Euphrates, cursuque abscedere lento,
Instar amicorum, se dissociare dolentum.
O lux, o humanae pulcherrima gloria gentis,

Ecquaenam haec, dixi, est aqua, quae, una ab origine manans,
Scinditur, atque duos ex se dat currere rivos?
Illa sub haec: praesens hoc te Mathelda docebit.
Hoc illum atque alia edocui, tum candida Virgo
Respondit, veluti qui sese crimine purgat:
Atque scio ex Lethe non haec deleta fuisse.
Cura illum major, retulit tunc orsa Beatrïx,
Quae memorem sensum nonnumquam mente revellit,
Reddidit immemorem. Sed jam illic cerne fluentem
Euniam: hunc propere deduc illius ad amnem;
Fac sua, more tuo, virtus sopita revivat.
Ut vir, corde bonus, nullas afferre negandi
Scit causas; sed, vix per signum aliena voluntas
Notuit, hanc facit ipse suam; sic protinus illa,
Postquam me cepit. mulier se candida movit;
Ac Statio: huic comes adsis, jussu indixit herili. —
Si mihi scribendi, lector, spatium amplius esset,
Prosequerer partim dulcem nunc carmine potum,
Quo mea non unquam sitis exaturata fuisset:
At, cum, quas poscunt haec altera cantica, plenae
Sint penitus chartae, ulterius procedere frena
Impediunt artis. Veluti nova frondibus arbos
Compta novis, sancto redii instauratus ab amne,
Ac purus; Caelique aptus conscendere ad astra

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER IX.

I. Mirifica illius, qui commovet omnia solus,
Gloria per mundi partes sese inserit omnes,
Hac magis, hac minus effulgens. Caelum ipse petivi,
Ex illa plus lucis habens; ac talia vidi,
Quae nequit ac nescit, quisquis redit inde, referre:
Namque Bono, quod prorsus avet, mens nostra propiquans
Usque adeo insinuat, seseque intrinsecus infert,
Ut nequeat posthac retro memor ire facultas.
Quod mihi caelestis sub mente reponere regni
Fas fuit, hoc totum numeris ostendere sumam.
O bone, succurre extremo nunc, Phoebe, labori:
Adsis o felix, ac tales suffice vires,
Quales adquirenda petit tua laurus amata:
Hactenus ex uno Parnassi vertice tantum
Sat fuit aura mihi: nunc afflet oportet uterque:
Illabare mihi; atque cane, ut cum, carmine victus,
Marsya pelle dedit, detracta ex corpore, poenas;
Sic, Virtus divina, fave, ut, mihi condita mente,
Carminibus pateat regni caelestis imago:
Tum laurum accedam, ac serto mea tempora cingam,

Quod mihi tu dederis, coeptumque insigne, mereri:
Tam legitur raro, ut vates Caesarque triumphet,
Propter, quae humanae est genti probrosa voluntas,
Esse ut Delphiaco deberent gaudia Divo,
Si quis Penejae frondis capiatur amore.
Ingens exiguae succedit flamma favillae:
Post me forte aliquis precibus melioribus olim
Orabit, quibus ex Cirrha responsa dabuntur.
Surgit ab Eoi vario Sol margine Caeli;
At crucibus trinis qui nectit quattuor orbes, (1)
Hinc cursu ac juncto meliori sidere surgit,
Liberiusque suo mundanam lumine ceram
Temperat ac signat. Mane hac in parte coortum (2)
Illinc, atque hinc Vesper erat; pene omnis et illinc
Clarus erat radiis, niger hinc semiorbis ab umbris;
In laevum cum versa latus, formosa Beatrix
Soli oculos fixit: nunquam sic firmiter illum
Inspexit regina avium. Velutique secundus
Exoritur primo radius, sursumque resurgit,
Non secus ac patrias remeans peregrinus ad oras;
Sic, meam ubi mentem illius tum perculit actus,
Ex me actus similis prodit; Solique corusco
Ipse etiam direxi oculos; nec lumine laesus,
Mortali de more, fui: nam sensibus illic,
Quod fuit humanae sedes ea dedita genti,
Multa licent, ad quae his alibi est erepta facultas.
Non longum breviterque tuli, cum luce refulsit
Æs velut ignitum; atque dies est visa diei
Addita, non aliter quam Sol si fulserit alter.
Hujus in ardentem faciem defixa Beatrix
Stabat luminibus cupidis; ab eoque remotis
Ipse oculis illi haerebam. Sic ejus ab ore
Sum factus confestim intus, ceu Glaucus, ut herbam,
Per quam Numinibus pelagi fuit additus, hausit.

Naturam exuere humanam per verba notari
Voce potest nulla: sat Glauci ostendit imago:
Gratia queis Caeli dabit, haec miracula norint.
Si tunc illud eram, quod primitus ipse creasti,
Tu scis, Caelorum moderator, Spiritus alme,
Lumine sum cujus superas sublatus in oras.
Cum rota. quam tu perpetua vertigine torques
Optatus, sibi converti me compulit, illo
Concentu, quem tu moderas ac digeris auctor, (3)
Tantum ego tum Caeli succensum Solis ab igne
Conspexi, ut numquam fluvius vel plurimus imber
Tam dederit patuisse lacum. Lucisque sonique
Me novitas tanto causas incendit amore
Discendi, ut nunquam tantum me incesserit acer.
Atque ea, quae velut ipse ego, quidquid mente putarem,
Scibat, cum nondum peterem, mihi ferre quietem
Adproperans, sic est effari protinus orsa:
Te facis ipse rudem, confusus imagine falsa;
Qua sine perspiceres, quae nunc deprendere nescis.
Non es, uti rere, in terris: non fulminis ignis
Sic fugiens de sede sua, it velociter unquam,
Quomodo tu, hanc repetens. Paucis his vocibus, unum
Si me deseruit dubium, mihi fortius haesit
Deinde aliud. Qui me, dixi, stupor altus habebat,
Omnis abît; sed nunc miror, quod corpora possim
Haec levia ipse gravis volucri transcendere cursu.
Illa mihi, postquam suspiria pectore traxit,
Versa oculos, nato ceu mater mente carenti,
Sic fari incepit: Res omnes ordine certo
Sunt inter sese; atque Dei hinc apparet imago:
Æternae virtutis ibi vestigia cernunt
Sublimes Animae, finis qui est ordinis hujus.
Omnis in hunc pro sorte sua res undique vergit,
Plusve minusve propinqua Deo. Prout insita in illis

Propterea est vis, ad varias se quaelibet oras
Res movet. Hac Lunam versus vi tollitur ignis,
Accipiunt hac quaeque suos animalia motus,
Hac terra in solidam constringitur arida molem;
Nec tantum haec adigit vis res ratione carentes,
Sed quibus intellectus inest. Qui talia mire
Ordinat ac regit, ipse suo implet lumine Caelum,
Immotumque facit. Hoc subter, vulvitur illud,
Quod se prae reliquis motu citiore revolvit.
Huc, velut ad certum signum, nunc evehit illa
Indita nos virtus; quae, quidquid moverit, usque
Dirigit in laetum signum sedemque quietam.
Saepe quidem, ut mens artificis non obtinet illam
Quam vellet formam, propter, quae calcitrat arti,
Materiem indocilem; sic his impulsibus obstat
Res ea, cui plena est alio se ferre potestas,
(Ut nube ignis abit), retrahit si forte voluptas.
Non igitur, si vera reor, te ascendere sursum
Est tibi mirandum, plusquam descendere rivum
Cautibus aeriis. Potius res mira fuisset
Obice si nullo adstrictus, tellure sederes,
Non secus ac si vivus humi subsideret ignis.
Haec ait, ac Celo fulgentia lumina vertit.
II. O quicumque meam parvo estis lintre secuti,
Optantes audire, ratem, quae caerula cantat
Æquora percurrens, ad littora vestra redite;
Neve intrate salum, vastas ne forte par undas,
Me amisso, ignoretis iter: freta pervia nulli
Nunc primum ingredior: spirat Trītonia Pallas,
Phaebus agit, monstrantque novae Ursarum astra Camoenae.
Vos pauci, Angelicam qui jam vertistis ad escam
Sollicitos animos, qua in terris vivitur, at non
Unquam fit satias, vos proram mittite in altum,
Sectantes, quem nostra aperit ratis incita, sulcum,

Ante recurrenti quam sit delebilis unda. (4)
Non stupor obtinuit tantus, vos quantus habebit,
Heroas Grajos, quos Colchida vexerat Argo,
Cum videre jugo submittere Jasona tauros. –
Insita caelestis regni atque aeterna cupido
Nos, tanquam Coelum, veloces pene ferebat.
Ductricem ipse meam, atque ea suspiciebat Olympum.
Quam cito stat, volat, atque arcu discedit arundo,
Huc ego perveni, quo me sibi vertere mira
Res oculos dedit; atque ea, quam mea nulla latebant
Acta, hilaris vultu, non secius atque decora:
Grates redde Deo, qui primum attingere, dixit,
Nos fecit sidus. Mihi visum est undique nubes
Quod nos obtegeret, densa, et solida, atque polita,
Usque adeo effulgens, sicut, quem luce corusca
Sol adamanta ferit. Nos intus stella recepit,
Indivisa velut lucis radium unda receptat.
Si tum corpus eram, nec fas hic noscere porro est
Quomodo tunc aliud corpus penetrare liceret,
Nos agere id major deberet cura videndi,
Quo fit perspicuum, naturae quomodo junctus
Est Deus humanae. Quod nunc dat credere nobis
Arcanum ignotumque Fides, tum noscere clare
Atque palam dabitur, tanquam primordia veri. –
Omni ope, respondi, cunctis et viribus illi
Reddo pias grates, qui me tellure removit:
At tu dic age, quid sunt hoc in corpore signa,
Quae faciunt terris fabulas compingere vulgo?
Subrideus retulit: Si homines sententia fallit,
Pandere quo nequeunt sensus, mirabile certe
Jam nunc esse tibi non id deberet; et ipse
Scis bene, quod ratio sensùs male nititur alis.
At quid tute putas? Prout, inqui, hic corpora rara
Aut sunt densa, reor terris diversa videri.

Illa mihi: nosces sic te non vera locutum,
Si, quae adversa feram, dictis intenderis aures.
Orbita in octava cernuntur sidera multa,
Aspectu ac mole inter se distantia valde:
Si tam magna esset densi rarique potestas,
Plusve minusve foret virtus his omnibus una;
Diversa at virtus variis procedere debet
Principiis; quae, uno excepto, tuus omnia sermo (5)
Destrueret. Si nigrantis sit causa coloris
Praeterea rarum, vel parte in utraque, vel una,
Materiae valde esset inops hoc sidus, et instar
Corporis in quo pars careat, pars pinguis abundet;
Ac velut in libro mutatur pagina. Primum (6)
Hoc Sol esse negat, patitur quando ille labores;
Nam radii tunc transigerent, ceu corpore in omni
Contigit hoc raro: quod non autem esse videtur.
Nunc de alio dicam; quod si delere licebit,
Evincam falsum, tua quod sententia profert.
Si rarum non praetereat, sit denique punctum
Est opus, a quo lux ultro transire vetetur,
Ac Solis radius sic in sese ipse refundat,
Ut color in speculo. Radium hic nigrescere dices,
Quod mage longinqua fuerit de parte refractus.
Hoc, si unquam tentes, negat experientia; quae est fons
Unde solent artes sibi rivos ducere vestrae.
Sume triplex speculum: procul a te bina locato,
Longius ast aliud: medio te siste; tuumque
Post tergum funale loca, quod spicula lucis
Omnibus immittat speculis; et, ab hisce repulsa,
Ad te perveniant. Etsi, quam longius abstans
Emittit speculum, sit lux minor, omnia claram
Aspicies aeque specularia mittere lucem.
Nunc, quoniam, ut Solis radiis tepefacta calorem
Ac frigus nix amittit, caligine pulsa

Es factus; menti tibi claram infundere lucem
Ipsa volo, quam tu penitus radiare videbis.
Sub Coelo aeternae pacis, se maximus orbis
Circumagit, cui talis inest uberrima virtus,
Omnia ut obtineat variarum semina rerum;
Quae, subtus sese volvens, hinc dividit orbis
Sideribus multis, quae in sese continet ipso.
Haec eadem certo dispensant ordine septem
Deinde orbes, qui se celeri vertigine versant.
Celorum haec series, ut conspicis ipse, gradatim
Sic igitur peragit, talique est foedere juncta,
Ut, quod desuper accipiunt, dant deinde deorsum.
Inspice ut ad verum tendam, quod discere quaeris,
Ne solus reperire vadum sis nescius amnis.
Mentibus ex superis, summos quae temperat orbes,
Progreditur virtus; ut, qua dat malleus istum,
Ars venit ex fabro. Orbis, quem tot sidera pingunt,
Excipit effigiem mentis, qua volvitur, ipsam;
Insculpitque aliis. Humano ut corpore clausa,
Sese anima insinuat, varios diffusa per artus,
Dispensatque habiles diversa ad munera vires;
Sic mens multiplicat sese, funditque per astra,
Unica circumiens. Diversa exinde creatur
Mixtura, ex varia virtute in sidere mixta,
Cui sic inseritur, ceu vestro in corpore vita.
Naturam ob laetam, qua virtus mixta creatur,
Qualis laetitia ex oculis, lux fulget ab astris.
Hinc fit differitas lucis: producere nescit
Hanc fuscum aut clarum: interna ab origine prodit.
III. Is, qui me primo Sol inflammavit amore,
Et sua confirmans et nostra effata refutans,
Dulce mihi dederat dictis deprendere verum;
Atque ego ut errorem ac verum agnovisse faterer,
Quoad decuit, vultum extuleram; sed visa repente

Sic mihi res mentem devinxit, ut inde fateri
Oblitus fuerim. Velut ex vitroque nitenti
Lymphisque haud altis adeo, ut fundi ima nigrescant,
Languida sic oculis resilit spectantis imago,
Ut citius nivea det sese in fronte videndam
Indi bacca maris; sic fundere verba paratos
Vidi ego tum vultus multos. Contrarius error
Me cepit, quam qui Narcisum fontis ad undam.
Hos simul ac vidi, fulgenti reddita vitro
Sum simulacra ratus; flexique hinc lumina, veros
Aspectus quaerens. Nil vidi; oculosque reflexi
Dulcis in ora Ducis, blando fulgentia risu.
Ne stupeas, quod te puerili more putantem
Subrisi aspiciens, inquit: consistere recto
Nondnm pes tuus edidicit, sed devius errat.
Non simulacra vides: sunt his in sedibus illi,
Qui, quibus adstricti fuerant, non vota replerunt.
Alloquere hos ergo atque audi, nec credere parcas;
Nam lux, qua plene gaudent, clarissima veri
Haud ullum ab se perpetitur divertere gressum.
Quae magis eloquii cupidam se praebuit Umbra
Tunc ego congressus, sum sic effatus, ut ille
Quem nimius fandi tenet et simul impedit ardor.
O felix Anima, aeternae dulcedine vitae
Deliciisque fruens, quas, ni gustantibus, unquam
Non est nosse datum, gratum mihi crede futurum,
Si nomen sortemque tuam me noscere faxis.
Illa alacris laetisque oculis, ait: aequa petenti
Sollicitae annuimus, velut is, qui incensus amore,
Succensas nos igne pari fervescere cogit.
Virgo fui, ac voto adstrictis sociata puellis;
Sique memor religis priscae vestigia formae,
Pulcrior haud facies tibi me celabit; et esse
Piccardam nosces; quae sum sine fine beata

Cum reliquis, quas segnior hic amplectitur orbis.
Numinis aeterni nos magno ardemus amore
Parendi placitis; nobisque est plena voluptas
Hunc aperire modis, qui praescribuntur ab illo.
Tali in sorte sumus quae tam demissa videtur,
Quod voti abstitimus cunctas absolvere partes. –
Divinum quiddam vestro sic fulget in ore,
Tunc ego respondi, ut prisca immutetur imago;
Sum te propterea in mentem revocare moratus;
At nunc, quae memoras, pronum mihi noscere reddunt.
Dic vero: Vobis, quibus hic est dia voluptas,
Ulterioris inest sedisve gradusve cupido,
Ut magis et visu et dulci sit amore fruendum? –
Paulum cum sociis subrisit; laetaque vultu,
Deinde, velut primi flammis arderet amoris:
Frater, ait, charitas nos hic facit esse beatas;
Quodque datnr, fruimur; nec quidquam quaerimus ultra.
Alterius sortis si cura aut ulla cupido
Nos utcumque ageret, divinae dissona menti
Illa foret, quae nos discreta hac sede locavit:
Quod nequit hic fieri, hic charitas si regnet oportet,
Quaeque sit illius natura expendere sumas.
Jussa Dei velle, hoc ipsum facit esse beatum;
Quippe voluntates nostrae conflantur in unam.
Quomodo in ordinibus variis nos proinde locatae
Hoc sumus in regno, regni placet omnibus hujus,
Non secus ac Regi, qui nos sic velle lacessit.
Illius est libitum pax nostra; ejusque voluntas
Est mare, quo se cuncta movent, quae condidit ille
Ac Natura parit. Dictis ex talibus ipse
Clariter agnovi, quod in omni parte beatum
Esse licet Caeli, quamvis discrimina servet,
Nec divina pares effundat Gratia rivos.
Ut solet interdum, quod quis satiatur ab esca,

Atque aliam exoptat; quare hanc efflagitat, atque
Ex ea agit grates: sic actu et vocibus egi,
Ut telam scirem, nequiit cui imponere finem. –
Altius est Caelo mulier, perfactaque morum
Magnaque, ait, meritis; cujus de more puellae
In terris sese velant, ut tempus in omne
Iungantur sponso, qui respondentia clemens
Vota suis placitis recipit. Cum aetate virerem,
Huic ego me addixi; memet velamine texi,
Obstrinxique fidem, ac legem sum hujusce secuta.
Impia gens dulci eripuit me deinde recessu.
Quam vitam hinc egi, scit qui corda intima novit.
De se et idem memorat, quae ad dextram luce renidet,
Omnibus effulgens hujus splendoribus orbis:
Haec etiam indignisque modis invitaque claustro
Erepta est olim: sed, quanquam reddita mundo,
Non unquam memori velamen corde removit.
Haec est, quae ex tumida Constantia stirpe Sueviae
Induperatorem est Fridericum enixa secundum,
Tertium et extremum qui tali est auctus honore.
Haec est illa effata, et *Ave Maria*, inde canendo
Incepit; cantumque sequens evanuit, instar
Ponderis, in multa quod lapsum absconditur unda.
Postquam oculis abiit, quantum potuere, secutis,
Sum versus, quo major amor mea pectora ducit,
Atque Beatricem inspexi: verum illa refulsit
Tam luce ingenti, ut visus perferre negavit.
Quare ego, quae volui, sum promere verba moratus.
IV. Inter distantes pariter pariterque moventes
Si quis forte duas liber consisteret escas,
Ante fame occideret, quam dentibus applicet unam:
Inter utrosque lupos, metuens aequaliter, agnus
Sic staret; geminosque inter sic damma molossos.
Quare ego non laudo aut damno, si, aequaliter actus

Tum dubiis (cogebar enim) presso ore quievi.
Ipse silens aderam, sed vultu impressa cupido
Cordis erat, clareque magis quam lingua petebat.
Sic mecum sese gessit tum diva Beatrix,
Regis ut Assyrii Daniel cum somnia pandit,
Excussitque trucem, qua injuste exarserat, iram;
Ac dixit: video quod habet te bina cupido,
Atque ita se impediunt, nequeant ut voce patere.
Tu tecum reputas: cur vis aliena merendi
Mensuram minuit, superest cum recta voluntas?
Ambigere et tibi praeterea dant dicta Platonis,
Sidereos remeare animas qui affirmat in axes.
His tua mens pariter dubiis est acta duobus.
Quod plus fellis habet primum tibi solvere sumam
Ex Seraphim quisquis mage Numinis ore fruatur,
Et Samuel simul et Moses et uterque Joannes,
Nec Maria excepta, haud alia in regione morantur
Celesti, quam quas Animas conspexeris; atque his
Non varia est aetas, sed tempus in omne manebunt.
Fulgida, stellantes supra quae tollitur orbes,
Regia spirituum caetus complectitur omnes,
Et plus atque minus gaudent dulcedine vitae,
Prout minus aut plus afflati sunt Numinis aura.
Hic sese ostendunt, non quod sit degere ibidem
Sorte datum, verum ut pateat locus ultimus illis
Esse in sede Dei. Sic namque ostendere vestro
Est opus ingenio, cum mens, nisi noscere sensus
Ante dedit, quidquam nequeat deprendere verum.
Sic membris constare Deum dat Biblia, vestrae
Indulgens menti; atque hominum sub imagine vobis
Michael et Gabriel, et qui sanare Tobiae
Curavit caecos oculos, Ecclesia monstrat.
Quae Timaeus ait, non sunt his consona visis;
Ille etenim, quod verba sonant, sentire videtur;

Quippe Animas dicit sua quamque revertere ad astra,
Unde putat missam, cum corporis induit artus.
Forte alio illius spectat sententia, quam vox
Ipsa sonat; talis, quae non sit digna cachinno.
Si putat ad stellas probrumque decusque referri,
Quod talem influxum, quod talia semina in illas
Indiderint, penitus veri non tramite aberrat.
Hoc male comprensum mundo pene intulit omni
Errorem; ac his Mercurii Martisque Jovisque
Imposuit nomen. Quod te dubium alligat alterum,
Est letale minus, cum non te impellere possit
Ut me destituas. Quod nostra injusta videtur
Justitia, est Fidei mortalibus argumentum, (7)
Ac non nequitiae haereticae. Hoc ediscere verum
Quandoquidem mens vestra valet, te reddere laetum,
Ut cupis, haud renuam. Si vis tum dicitur, omni
Cum qui illam patitur, cogenti mente repugnat,
Haud prorsum excusandae Animae sunt scilicet illae;
Mens etenim, nisi forte velit, est nescia flecti,
Non secus ac ignis, qui, quanquam pressus, in auras
Indole nativa erigitur. Si flectitur hilum,
Mens vi connivet. Sic hae gessere, potentes
Ad sanctum remeare locum. Si plena voluntas
Propositumque tenax illis sub corde fuisset,
Quo stetit in grate obnixus Laurentius ignea,
Impavidusque manum commisit Scaevola prunis,
Per quod iter fuerant tractae, cum deinde potiri
Est his libertate datum, se ad claustra tulissent:
At nimis est rarum tam firma ac certa voluntas.
His, si quo decuit percêpsti rite, solutum
Est verbis dubium, quod te persaepe gravasset.
Nunc aliud menti objicitur, quod tute nequires
Disjicere, atque prius defectus viribus esses.
Mentiri tibi jam statui non posse beatas

Unquam Animas, quibus aeternum est fas cernere Verum.
Piccarda hinc dixit, quod non oblita relicti
Est unquam veli, ac sacrae Constantia sedis:
Illius inde meis contraria verba videntur.
Saepe aliquis, licet aegro animo, ut discrimina vitet,
Non facienda facit; velut olim, a patre rogatus,
Alchmeon matrem enecuit; pietatis amore
Impius est factus. Perpende ut saepe voluntas
Vi comes efficitur; quodque his emanat utrisque
Non ideo admittit veniam. Tum namque voluntas
Non vere assentit damno, sed quatenus ipsa
Damnum formidat majus, consentit eidem.
Ista voluntatis si tu discrimina pendas,
Piccardae dictis mea non abludere nosces. —
Sic illa, aeterni ut Veri de fonte profundo
Prosiliens rivus, mihi dixit; et utraque verbis
Est mea ab illius penitus sedata cupido.
O Diva, o primo, dixi, carissima Amanti,
Cujus me sermo et fovet et dulcedine inundat,
Ac magis atque magis dat vivas sumere vires,
Non mihi tantus amor, dignas qui reddere grates
Possit: qui videt atque potest, is rite rependat.
Novi equidem, quod mens hominum non ante quiescit,
Quam Verum attingat, quo excepto, quaerere Verum
Irritus est labor: hoc ubi nacta, quiescit ibidem,
Non secus ac fera, cum reperit per tescua cubile:
Adquirique potest, nam aliter quaecumque cupido
Vana foret. Dubium hac oritur, ceu germina trunco;
Ad summum sic nos ducit Natura gradatim.
Hoc me fidentem facit, impellitque rogare,
Ut mihi des aliud latitans deprendere verum.
Scire igitur vellem, numquid defectio voti
Pensari meritis valeat, quae ponderis aequi
Ante Deum fuerint. — Sic fanti luce coruscos

Illa oculos tanta, et tanto direxit amore,
Ut dare, perstrictus radiis, sum terga coactus,
Et, quasi deficiens, mea lumina declinavi.
V. Si flammis me ardere vides et amore calere
Sic non more hominum, ut radiis tua lumina vincam,
Ne stupeas: perfecto ex visu hoc ordia ducit;
Quanto etenim magis ille Bonum comprendit, in illud
Plus tanto intendit. Divam tibi fulgere menti
Jam lucem video, quam qui conspexerit una
Dumtaxat vice, perpetuo inflammatur amore.
Siqua movent vos in terris, translucida tantum
Sunt, vobis male nota, hujus vestigia lucis.
Scire cupis, num qui votum non praestitit, illud
Sit meritis pensare potens, ac reddere tantum,
Ut litem proinde evitet. Sic orsa Beatrix
Tunc est effari; ac tali est sermone secuta.
Inter dona Dei, mortali tradita, majus,
Ac minus illi impar, et quod magis aestimet ipse,
Libera mens est arbitrii, quam Conditor unis,
Cunctisque, instructis rationis lumine rebus
Munifice impertit: pretium hinc perpendere voti
Ipse potes, quo pactum ineunt sponsorque Deusque.
Exuit hoc sese mens libertate suapte,
Quam vovet ipsa Deo. Quanam hanc mercede rependes?
Quod vovisti, alios si recte impendere in usus
Posse putas, ex re male parta condere porro
Vis bonum opus. Majus tibi punctum est proinde solutum.
At, quoniam jus in variis Ecclesia votis
Exercet, dictisque meis obstare videtur;
Est opus idcirco ulterius te accumbere mensae;
Namque rigens, quam sumpsisti, quibus esca coquatur,
Indiget auxiliis: ergo mihi porrige mentem,
Ac mea dicta tene; fit namque scientia, rebus
Non tantum auditis, memori sed mente repostis.

Sunt bina in votis; pactum ac res foedere pacta.
Illud deleri nescit, semperque tueri
Est opus, ut supra manifeste ac rite monebam.
Dona ideo fuit Abramidis offerre necessum,
Quamlibet, ut scis, interdum mutare liceret.
Altera pars, seu materies, se talis habere
Saepe potest, ut mutari sine crimine fas sit.
At nemo arbitrio mutet: sit facta facultas
Sacrorum a summo, cui sunt, Antistite, claves.
Nec valide mutare putet, nisi majus omisso
Sufficiat munus, veluti pro triplice summa
Si quadruplam reddat. Quod si praestantius omni
Sit pretio, mutandum nullo est munere rerum.
Vota homines ne parvi pendant: este fideles,
Neve ardor vos caecus agat, velut egit Iephtem,
Cui melius fuerit crudele retexere votum,
Quam vano obsequio gravius delinquere. Sic et
Atridem invenies, ductorem pubis Achivae,
Unde suum flevit vultum Iphigenia decorum,
Et cunctis hinc flere dedit, quorum attigit aures
Tam mala relligio. Temere nolite moveri;
Ne vos, Christiadae, ut plumam, omnis motitet aura;
Neve unda commissa lui quacumque putetis.
Sunt vetus ac nova lex vobis, summusque sacrorum
Antistes; vestraeque satis sint ista saluti.
Si quidquam haec contra dictat malesuada cupido,
Este viri, non sicut oves, ratione carentes,
Ne gens, vobiscum degens, Iudaea cachinnet.
Este viri; non tanquam agnus, qui, matre relicta,
Lascivit, saltat, pugnat secum ipse per herbas.
Haec ea dicta dedit; cupidisque accensa favillis,
Se in partem vertit, magis est quae vivida mundi. (8)
Mutatum illius vultum atque silentia cernens,
Tunc ego conticui; penitoque in pectore pressi

Quae mea scitari jam mens arrecta parabat.
Haud mora: non secus atque arcu dimissa sagitta,
Quae prius attingit signum, quam chorda quiescat,
Sic alium tunc attigimus nos protinus orbem.
Huc ubi devenit, facta est tam laeta Beatrix
Ut magis enituit sidus. Si stella refulsit
Luce nova, ac se mutavit, me quale fuisse,
Qui sum natura omnimodis mutabile, credas?
Ut, quos saepe tenent nitidis vivaria lymphis,
Continuo in summas, siquid conspargitur, undas
Exiliunt avidi pisces, alimenta putantes;
Sic ego nos versus plus mille accedere vidi
Fulgentes Animas; et vox erat omnibus una;
En, en, clamabant, nostros qui augebit amores.
Prout quaeque ad nos tendebant, ex luce corusca
Progrediente ab iis, parebant gaudia mentis.
Si, quod sum exorsus, narrare hic, lector, omittam,
Quam tibi discendi ulterius foret anxius ardor!
Hinc tu scire potes, fuerit mihi quanta cupido,
Has simul aspexi, illarum cognoscere sortem. –
O bone, cui sinit aeternum spectare triumphum
Gratia, militiam cum nondum expleveris omnem,
Lumine, quod Caelum fulgoribus undique complet,
Nos sumus incensi: si quidquam scire voluntas
Est tibi propterea, nobis ne pandere parcas. –
Sic mihi tunc una ex illis ait, atque Beatrix:
Dic age, dic fidens, inquit, ac crede velut Dîs. –
Cerno equidem, quod tu proprio fulgore teneris,
Quodque hunc ex oculis ducis; quippe ille coruscat,
Utpote tu rides: sed qui sis nescio, nec cur
Hoc te sidus habet, quod lux aliena recondit. (9)
Sic ego tum dixi, splendorem versus ad illum,
Qui mihi fatus erat. Multo fulgentius ille,
Quam fuit, enituit. Ceu Sol, se lumine condens

Ipse suo, postquam perroserit igne vapores;
Sic prae laetitia sese illa abscondit imago
Luce sua, penitusque latens sic farier orsa.
VI. Postquam Aquilam Constantiades direxit ad Ortum,
Coeli adversus iter, ductore quod ante secuta
Dardanio fuerat, centum ac centum amplius annos
Finibus Europae, prope montes illa resedit,
Ex quibus exierat; mundumque potentibus alis
Fovit, et imperio rexit; multaque deinceps
Est postquam gestata manu, ad me denique venit.
Induperator eram, sum nomine Justinianus.
Summo, quo nunc incendor, compulsus Amore,
Ordine disposui leges, et quidquid in illis
Sive supervacuum, sive esset inane, removi.
Nondum opus aggressus, naturam existere rebar
Tantum unam in Christo; sed divus Agapitus egit
In veram inde fidem: illius sum dicta secutus,
Quae nunc vera adeo aspicio, ut tu conspicis ipse
Et verum et falsum in contradicentibus esse.
Rectum iter ingressus Fidei, sum numine dextro
Magnum opus exorsus, cunctisque huic viribus haesi;
Otia nam Deus indulsit, cum juverit arma,
Queis meus attrivit dux Belisarius hostes.
Haec satis ad primum, quem feceris ante, rogatum;
At res, de qua est sermo, me his quidquam addere cogit,
Ut videas quam prave agat, et qui insigne sacratum
Hoc sibi vi rapiat, quique ausit surgere contra.
Aspice quanta hoc reddiderit venerabile virtus.
(Coepitque ex illo, cum Pallas, vulnere fossus,
Ut regnum huic pareret, cecidit). Scis ipse moratum
Esse annos ter centum Albae, dum Marte cruento
Tergemina hinc illinc pugnarunt corpora fratrum.
Scis etiam quid post raptas exinde Sabinas
Per septem reges egit, ditione propinquas

Submittens gentes, Lucretiae ad usque coactae
Interitum. Scis et pulcherrima facta Quiritum
Adversus Brennum et Pyrrum, reliquosque potentes;
Unde sibi famam myrrha peperere linendam
Torquatus, Decii, et Fabii, notusque capillis
Quintius incomptis. Hoc signum fregit et iras
Belligeras Arabum, qui se ductore per Alpes
Annibale intulerunt, Padus unde elabitur amnis.
Deinde sub hoc juvenes claros egere triumphos
Scipiades et Pompejus; collique molestum
Esse illi est visum, quem subter es ortus in auras. (10)
Cum fuit hinc tempus, cum Coelo est denique visum,
Mundum, more suo, dulci componere pace,
Est illud, Roma tradenti, Caeser adeptus;
Quaeque id practerea ex Varo ad Rhenum usque peregit,
Sequana sat norunt Heraeque Isaraeque fluenta,
Et quot sunt amnes, Rhodanus quibus intumet ingens.
Quod gessit vero postquam exiit urbe Ravenna
Ac transit Rubiconis aquas, est pene volatus,
Quem nec lingua sequi, nec penna celerrima posset.
Agmina in Hispanas terras traduxit, et urbem
Mox ad Dyrachium: Æmatios tanto impete campos
Perculit, ut dolor ad Nili pervenerit oras.
Rursus ad Antandrum et rapidum Simoenta redivit,
Unde ante exierat, quo martius accubat Hector. (11)
Illinc discessit, Ptolemeum ut plecteret armis;
Utque Jubam opprimeret, terras properavit ad Afras.
Occiduam in partem vestram se deinde revexit,
Quo tuba natorum Pompei ad bella vocabat.
Gesta sub Augusto cum Bruto Cassius antris
Latrat in infernis; Mutina atque Perusia narrant.
Luget adhuc Cleopatra suum miserabile letum,
Quod sibi conscivit, positis ad membra colubris.
Hoc duce Erythrei rubras pervenit ad undas:

Hoc duce composuit mundum, tantaque potiri
Pace dedit, qua clausa feri sunt limina Iani.
At, quod per terram, quae illius suddita juri est,
Fecerat, et quod venturos fecisset in annos,
Fit valde obscurum ac parvum, si Caesaris illud
In manibus tertî, studiis et pectore puro
Atque oculo inspicitur; quippe huic divina, loquenti
Quae mihi justitia inspirat, concessit ut irae
Vindictam ipsius faceret (12). Mirare quod addam.
Deinde Titum ultrices pertraxit sumere poenas
Expensae ultricis poenae pro crimine primo.
Cum Longobardas passa est Ecclesia clades,
Illius huic magnus protectus Carolus alis
Attulit auxilium, victorque coercuit hostes.
Nunc tu nosse potes, quantum sit crimen in illis
Quos super arguerim, qui sunt tot causa malorum
Quae vos affligunt. Huic Gallica lilia signo
Alter praeponit, partique hoc vindicat alter;
Cernere et est dubium, quisnam vehementius erret.
Arma Ghibellini, sed signo hoc absque verendo,
Arte sua capiant: male nam se protegit illo,
Qui se justitia abjungit. Nec Carolus iste
Cum Guelphis huic bella ferat, formidet at ungues,
Vellera majori qui detraxere leoni.
Saepe patrum nati fleverunt crimina: neve
Credat, ut illius praeponat lilia, signum
Vertere velle Deum. Parvum hoc complectitur astrum,
Quos opus in terris exercuit atque labores,
Ut sibi post mortem parerent memorabile nomen.
Cum mens huc tendit, terrestri dedita curae,
Est opus illa Deì minus incendatur amore.
Nobis pars est laetitie, data praemia nostris
Metiri meritis; quippe his ea cernimus aequa.
Iustitia hinc nostrum sibi tam devincit amorem,

Ad nullam ut penitus sit fas divergere culpam.
Ut gratum diversa cient modulamina vocum
Concentum, sic et nostris in sedibus ordo
Impar concentum reddit. Hoc fulget in astro
Lux Romei, cujus pulcris mala gratia gestis
Est habita. At non longum, qui mendaciter illum
Culparunt, risere viri. Mala vertitur illi,
Qui sua damna putat, quidquid benefecerit alter.
Raimundus quatuor sibi Berlingherus habebat (13)
Natas; ac magnis nupserunt regibus omnes.
Hoc humilis fecit Romeus: tamen improba verba
Persuasere, rei rationem ut posceret actae;
Actae nempe rei, quam tantum exauxerat ille;
Proinde senex et inops tectum regale reliquit.
Si norint homines, fuerint qui pectore sensus,
Cum sibi frustatim peteret nutrimina vitae,
Hunc, plusquam soleant, ornarent laudibus amplis.
  VII. Haec ait, atque: *Exercituum Deus inclyte, salve*
Incepit canere, *ista tuo qui lumine regna*
Largiter illustras; ac, duplice luce coruscans, (14)
Interea in numerum, juxta modulamina cantus,
Ducebat chereas, chereas ducentibus unâ
Spiritibus reliquis: rapidae mox quale favillae
Longe oculis abiere meis. Incertus et anceps
Ajebam mecum: dic, quaere, illamque rogato,
Quae delet tibi rore sitim; at reverentia, quae me
Illius permulta tenet, mihi labra vetabat
Pandere, ut irrepens cui somnus degravat artus.
Non multum tulit haerentem, risuque Beatrix
Effulgens, medio qui laetum redderet igne:
Tu, dixit, (nec falli possum), mente requiris
Quomodo vindictam justam fas plectere justis
Sit poenis; at ego his curis te rite resolvam,
Et se magna meis pandet sententia dictis.

Qui non est natus, sibi proficientia, nolens
Fraena voluptati, vir se prolemque peremit.
Hinc genus humanum densa caligine mersum
Erroris jacuit, donec post secula multa
Magna Dei soboles coelo descendit ab alto;
Naturamque, suo quae auctore recesserat, ipsi
Induit, ex actu aeterni dumtaxat amoris.
Fac nunc advertas, et quae dicam excipe mente.
Haec natura, sibi quam posthac induit Auctor,
Intemerata fuit, qualis fuit ante creata;
At, scelus ob proprium, Paradisi est limine pulsa,
Namque sua ex vita, ac veri se ex calle remorat.
Natnram idcirco sumptam si inspexeris, aequa
Poena crucis fuit, atque hac nil est justius unquam;
At si personam, quae talem est passa, tueris,
Cui haec natura inerat, nulla est injuria major.
Diversa ex uno duplex res prodiit actu,
Unaque mors placuit simul Abramidisque Deoque:
Hac tremuit terra, et patefacta est janua Coeli.
Non tibi jam durum debet dubiumque videri,
Vindictam justam cum juste audiveris ultam.
Ast ego nunc alium tibi mentem obstringere nodum
Aspicio, ex quo solvi est illi magna cupido.
Cur modus iste Deo redimendi arriserit, inquis,
Percipere haud valeo. Nulli hoc deprendere, frater,
Fas est, ni quibus aeterni vis constat Amoris. (15)
At, quoniam huc multum inspicitur, minimumquo videtur,
Cur modus hic fuerit prae cunctis dignior, edam.
Expers livoris, bonitas divina favillis
Ipsa suis late micat, aeternique decoris
Pandit opes. Quodcumque absque iterventibus ullis
Sola creat, manet aeternum; nam nescit imago
Deleri, quam ipsa impressit. Quod manat ab illa
Nullo interventu, omni libertate potitur;
Mutarique nequit rerum virtute novarum. (16)

Quod plus est illi compar, plus complacet illi;
Ardor enim sanctus, qui res illuminat omnes,
Quae mage sunt ipsi similes, mage fulget in illis.
Cuncta hominem haec decora exornant: si deficit unum,
Nobilitate cadit: scelus unum mancipat illum,
Atque Deo similem non amplius efficit esse,
Divina tum namque parum se luce colorat:
Nec spsies amissa redit, nisi poena replerit,
Quod culpa evacuat, suadente cupidine prava.
Dotibus his, natura suo cum in semine vestra
Peccavit tota, ut Paradiso, exuta recessit;
Nec refici poterant, (si advertas mente sagaci),
Ni geminis tantum hisce modis: aut parceret unus
Clementer Deus; aut, sua quod dementia fecit,
Ipse homo flagitium lueret. Nunc insere mentem
Altius, atque aeterni consilii inspice abyssum,
Quam potis es; dictisque meis prudenter inhaere.
Pro scelere admisso ratione satisdare nulla
Mortalis poterat; nam se demittere ad imum
Impos erat tantum, quantum se erexerat alte.
Haec causa est verax, cur rite rependere noxam
Humanae non esset opis. Deus ergo suismet
Ipse viis, homini vitam reparare superstes
Solus erat: nempe aut una, aut ambabus. Utrisque
Uti diva, sua quae signat imagine mundum,
His Bonitas voluit: magis acceptabile donum
Quippe est, quod magis ostendit donantis amorem.
Non fuit aut erit, ex nascentis origine mundi
Ad mundi finem, ratio magis alta gerendi,
Sive Deum aut hominem spectes. Si indulserit ultro
Ipse Deus veniam, largus minus ille fuisset,
Quam cum se dedit, instaurare ut posset omissas
Mortalis vires: nec erat ratio ulla profecto
Altera, justitiae compar; nisi Numinis esset

Filius humanam dignatus sumere carnem.
Nunc, ut plena tibi penitus sit cuncta cupido,
Ad rem, quam dixi, redeo; ut tibi clara patescat,
Non secus atque mihi. Inquis: aquam, aera, terram,
Atque ignem, quaeque his constant, haud tempore multo
Durare, ac labi aspicio: haec etiam Deus ipse creavit;
Quare, si verum dixi, nescire ruinam
Haec quoque deberent. Regio, in qua, frater, es ipse,
Angelicaeque acies, sunt conditione creatae
Intégra; at quae elementa refers, et condita ab illis,
Haec formam accipiunt porro ex virtute creata.
Materiam illorum Deus et quae informat eamdem,
Virtutem in stellis obeuntibus hisce creavit.
Brutorum ac plantarum animae de lucibus istis
Motumque vitamque trahunt, vi talibus apta:
Nostram animam vero spirat Deus ipsemet: illam
Sic et amore replet, quo semper tendit ad illum:
Hinc quoque conjicies, quod mortua membra resurgent,
Si reputas quo more fuit caro condita quondam,
Cum vitam primi acciperent utrique parentes.
VIII. Idaliam gens prisca, suo malesana periclo,
Tertio ab orbe Deam spirare putabat amores;
Atque ideo, non tantum ea, verum culta Dione
Est aris votisque parens, natusque Cupido,
Didonis gremio quem decubuisse ferebant.
Illius huic stellae, de qua jam dicere sumpsi,
Quam Sol et veniens abiensque inspectat amanter,
Imposuit nomen. Quì sim delatus in illam,
Nescio: ab hoc sensi, quod pulcrior ore Beatrix
Visa mihi fuerit. Non secius atque favillae
Igni interlucent, atque ut distinquitur una
Vox alia, cum subsilit altera, et altera perstat;
Sideris haud aliter per lucem currere Luces
Vidi ego tunc alias, sed plusque minusque citatim,

Prout, reor, aeterno gauderet lumine quaeque.
Invisi aut visi, ex gelidis haud nubibus unquam
Erumpunt venti; quos non incedere segnes
Dixerit, ad nos has Luces qui viderit ire,
Linquentes gyrum, ex Seraphim sublimibus orsum. (17)
Post incedentes primos *Osanna* sonabat,
Quale mihi semper fuit hinc audire cupido.
Accedens propius, tunc una ita farier infit:
Omnes nos praesto sumus, atque explere paratae
Quidquid aves: cum Principibus caelestibus idem
Nos gyrus motuque pari atque cupidine eadem
Circumagit; quibus in mundo: *Vos*, *orbita*, dixti,
Quorum ex impulsu volvit se tertia Caeli. (18)
Nos ita diligimus, tibi nos et tanta gerendi
Cura tenet morem, ut paulum requiesse juvabit. —
Postquam oculos Divae affixi reverenter, et illa
Blanditer arrisit, Luci sum versus eidem
Quae mihi se exhibuit. Quo nomine diceris? inqui,
Primam edens vocem, magno commotus amore.
Oh qualem et quantam tunc illi augescere lucem,
Propter laetitiam vidi, quae juncta priori
Laetitiae fuit, haec postquam sum talia fatus!
Effulgens sic luce nova, mihi reddidit orsa.
Non longum me terra habuit: si longius aevum
Duxissem, minus exortum foret inde malorum.
Quae me laetitia involvit, radiisque coruscis
Includit, velut ipse suo sub stamine bombix,
Non sinit, ut tu me videas. Me ardenter amasti;
Ac merito: nam si vixissem, haud reddere grates
Abstiterim plusquam verbis. Me ripa sinistra, (19)
Quae Rhodano abluitur, postquam sua flumina Sorgae
Mixcuit illabens, dominum sibi habere manebat,
Nec non et pars Ausoniae, qua moenia Bari
Piscosi assurgunt, et Cajetae atque Crotonis,

Quaque Truentus aquas Viridisque evolvit in aequor.
Illius mihi fulgebat jam fronte corona
Telluris, quam Danubius rigat amne profundo,
Teutonidum rigidis postquam est digressus ab oris.
Quaeque Pachinum inter tellus altumque Pelorum
Æquoris ad fluctus, magis Euri flatibus actos,
Sulphure caligat, non expirante Typhoeo,
Nunc etiam nostro reges ex sanguine haberet,
Ex me quos dederint et Carolus atque Rodulphus,
Si regni feritas, atque infraenata potestas,
Quae semper populos turbat, non ire Panormum
In caedem egisset. Meus haec si mente sagaci
Praespiceret frater, Catalanam cautus avaram
Pauperiem abjiceret, populis ne dura noceret.
Illi opus est certe, aut aliis, impendere curas,
Ne ratis ulterius, jam pondere onusta, gravetur.
Illius ingenio, quod parcum ex ubere fluxit,
Militia esset opus, quae nollet ponere in arca. (20)
Dixit; et his ego sum contra dein talibus orsus.
Me tua mirifice complent dulcedine dicta;
Qua magis afficior, quoniam te hanc cernere credo
Qualem ego percipio, illic, unde exordia sumit
Ac finem omne bonum; quodque hanc in Numine cernas,
Hoc quoque delector. Cum laetum feceris, idem
Me doceas; nam, verba serens, dubitare dedisti
Quomodo de dulci semen nascatur amarum.
Si valeam, is retulit, tibi verum ostendere, vertes
Huic, quod scire cupis, faciem, ut nunc tergora vertis.
Regnum, quod nunc tu ascendis, Deus ordine volvens
Æque ac laetificans, virtutem ponit in istis
Corporibus magnis, ad quod vult providus ipse:
Nec modo naturas Mens perfecta ordinat omnes
Disjunctim, at cunctas simul, illarumque salutem;
Quidquid enim hic arcus vibrat, certum incutit istum

Praevisum in punctum, velut in signum acta sagitta.
Hoc nisi sic esset, Coelum producere perget,
At male composita, et certam incursura ruinam;
Quod nequit effieri, nisi sint haec astra moventes
Infirmi; quique hos fecit, infirmus et ipse.
Jamque age, visne tibi magis haec clarescere faxim? —
Non equidem, dixi; video nam satque superque,
Quod sibi non unquam deest Natura tuendae. —
Mox inquit: pejusne foret, si civis in urbe
Nemo esset? Certe, retuli; nec causa petenda est. —
Idne, ait, esse potest, homines nisi munere terris
Fungantur vario, ac varias vertantur ad artes?
Non equidem, vester docuit si vera Magister. (21)
Huc ubi devenit: studiorum, dixit, oportet
Radicem esse igitur variam: nam nascitur unus
Xerses, ille Solon, hic qui sibi condidit alas,
Alter Melchisadec. Volventibus edita ab astris,
Mortalem ceram signans Natura sigillo,
Fungitur arte sua, sed non discriminat aedes.
Hinc fit ut ingenio Jacob tam discrepet Esau,
Atque adeo est vili natus de patre Quirinus
Ut sibi opus fuerit genitorem adsciscere Martem.
Natorum semper similis natura parentum
Esset naturae, nisi mens divina vetaret
Consilio arcano, cui sunt mortalia curae.
Ecce tibi ante oculos, quae jam post terga latebant.
At, quantum es mihi curae ut noveris, instar abollae, (22)
Hoc addam. Quoties reperit Natura sinistram
Fortunam, male proficit, ut non consita terris
Semina quaeque suis. Si, quae fundamina ponit
Natura, instaret mundus, gens integra morum
Floreret, laetoque irent mortalia cursu.
At Marti natos, vos arae addicitis; aptos
Instrepere eloquio, regali in sede locatis:
Vestraque sic recto devertitur orbita calle.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER X.

IX. Me tuus ut dubiis, Clementia pulcra, resolvit (1)
Carolus, infandas fraudes tristemque rapinam (2)
Narravit, sua quas soboles passura fuisset;
At, sileas, ait, ac tacitum sine currere tempus.
Quare ego nil aliud dicam, nisi vestra dolores
Damna secuturos, meritasque ob crimina poenas. –
Jamque illud Lumen Soli se verterat almo,
Qui totum replet igne suo, et par cuique tuenti est.
Oh captas errore Animas! oh impia corda!
Quae tam grande bonum abjicitis, deceptaque rerum
Vanarum specie, curas his tenditis omnes. –
Ecce autem subito ex illis Fulgoribus alter
Ad me se tulit; ac, majori luce renidens,
Se cupidum affari ostendit. Velut ante, Beatrix,
In me defixos oculos quae blanda tenebat,
Annuit optanti. Mihi, Spiritus alme, volenti,
Dixi ego, responde; ac certum me redde, reflecti
In te, quae mihi sunt animo. Lux, cognita nondum
Quae mihi tum fuerat, medio de sideris, unde
Ante dabat cantum, gaudentis more favere:

Italicae, incepit, pravae telluris in oris,
Urbem inter Venetam. fontesque ex Alpe fluentum
Medoaci ac Planis, non multum surgit ad auras
Exiguus collis; fax unde erupit, et ardens (3)
Affecit magnis subjectam cladibus oram.
Huic soror ipsa fui: sum nomine dicta Cunizza:
Hic moror; hoc etenim vicit me lumine sidus.
Non mea me sors affligit, nec me illa remordet,
Vulgus ut ignarum forsan mortale putaret.
Quae mihi Lux proprior fulget, memorabile nomen
In terris liquit, multumque manebit in aevum,
Plus etiam quam quingentos Sol duxerit annos.
Aspice numne homini sit opus virtute mereri,
Ut post hanc vitam, subeat dehinc ille secundam.
Non hoc incauta advertit maleprovida mente
Gens inter degens Tilaventi Athesisque fluenta;
Ac, licet aerumnis pressam, non poenitet illam.
At cito, (dant gentes quoniam jura omnia pessum)
Sanguis, ab Euganeis decurrens collibus, undas
Mutabit fluvii, qui te, Vicentia, lambit. (4)
Qua Calianus aquas cum Silis flumine jungit
It talis capite erecto, regnoque superbit, (5)
Cui jam tenduntur retes. Pastoris iniqui
Tu quoque vipereas lugebis, Feltria, fraudes:
Tales, queis nunquam Maltam subiere nocentes. (6)
Vas nimis amplum esset, quod continuisse cruorem
Possit, quem de gente tua, Ferraria, fundet
Presbyter hic bonus, ut sese demonstret amicum
Pontifici; lassusque foret, qui hunc pendere vellet:
Moribus haec porro respondent munera gentis.
Sunt specula in Coelo, atque thronos vos dicitis illa,
Unde palam nobis dat se Deus ipse videndum:
Crede igitur quod certa tibi sum proinde locuta.
Haec dixit; velutique aliis exercita curis,

Se rursum in gyrum misit conversa relictum.
Altera tum Lux, jam nota mihi, tam clara refulsit,
Gemma velut Solis radio percussa corusco.
Gaudia uti risu nos prodimus, astra colentes
Testantur sic luce nova: quos obtinet Orcus,
Fronte notant tristi moerentis nubila cordis. –
Cuncta Deus videt, et tu cuncta tueris in illo,
Spiritus o felix, ego dixi; omnisque voluntas,
Quae sit nota Deo, tibi non incognita paret:
Cur tua vox igitur, quae semper sidera mulcet
Par Seraphim cantu, quibus est sex tegmen ab alis,
Non mihi respondit? Tua si mihi vota paterent,
Ut tibi nostra patent, a te nollem ipse rogari. –
Maxima vallis aquae, excepto qui circuit orbem (7)
Oceano, ille inquit, tantum se Solis ad ortum,
Progrediens inter contraria littora, tendit,
Circulus ut medius sistat, quo stabat Horizon.
Hanc vallem propter, veni sub luminis auras
Hebrum inter Macramque amnem, qui tramite parvo
Thyrrenis Ligurum disterminat arva colonis.
Pene et ad occasum atque ortum sunt Solis eumdem
Afris littoribus Sude et mea patria tellus,
Quae vastata suo tepefecit sanguine portum.
Nomine sum Folcus (8): Celum me detinet istud,
Illius afflatus valde quod pectore sensi.
Non adeo, dum aetas sivit, Phoenissa, Sicheo
Atque Creusae infensa, arsit; non hospita Phylles
Demophoonta, nec Alcides adamavit Jolem.
Nec tamen hinc oritur dolor, at jucunda voluptas;
Non equidem culpae, quam plene oblivia delent,
Sed, quae mirifico sic digerit ordine, mentis.
Hic ars inspicitur, quae tales indidit astro
Huic vires, ut, quem mortalibus afflat amorem,
Sursus ad auctorem rodeat. Nunc pandere pergam,

Discere quod vis ulterius. Tu luce requiris
Qui mihi proximior tanta sit Spiritus ardens,
Non secus ac pura radius Phaebeus in unda.
Scito hunc erse Raab, summo quae gaudet honore
Ordine in hoc nostro. Ante omnes illata coruscum
Haec fuit in sidus (quo culmen desinit umbrae,
Quam tellus ex Sole jacit) cum victor ab antris
Morte triumphata Christus remeavit Avernis.
Linquere eam decuit, monumentum insigne triumphi,
Quem sibi promeruit, palmis defixus utrisque,
Coeli in parte aliqua; primo nam dextera bello
Haec favit Josue, sanctae telluris in oris;
Cujus Pontificem cepere oblivia summum.
Urbs tua, quae illius planta est, qui vertere primus
Terga suo Auctori est ausus, cujusque dolenda (9)
Invidia est adeo, procignit et undique fundit
Tristem illum florem, recto qui e tramite abegit
Agnosque ac pecudes; lupus hoc nam factus ad ipso
Est Pastor. Mentem unis Decretalibus addunt, (10)
Ut plane ex illarum attrito margine constat:
Pontificum his Summus, reliquique a cardine dicti,
Intendunt animos; Evangeliique relicto
Ac Patrum studio; paucamque in pectore curam
Gestant Nazareae sedis, qua nuntius alas
Gabriel, aetherio delapsus vertice, pandit.
At Vaticanus collis, et urbis caetera Romae
Pars sacra, ubi recubant Petri vexilla secuti,
Foedo ab adulterio quamprimum libera fiet.
X. In genitum spectans (illo, qui aeternus utrisque
Manat, amore,) oculis quaecumque aut mente videntur,
Omnia tam miro primus Vigor ordine fecit,
Noscere ut hunc nemo nequeat, qui talia cernit.
Tolle igitur, lector, partem tua lumina in illam,
Qua motu inseritur concordi foedere motus;

Atque, hinc incipiens, artem meditare Magistri,
Qui tantum hanc amat, ut nunquam noctuque diuque
Inde oculos vertat. Vide ut hinc se circulus ille
Obliquus tendat, qui errantia sidera ducit
In varios mundi, qui talia postulat, usus.
Transversum ni his esset iter, Coeli irrita virtus
Multa foret, vis et terris quasi hebesceret omnis.
Si plus sive minus recto deflecteret axe,
Terrisque ac Coelo valde defecerit ordo.
Haec libata tuo, lector, sub pectore volve,
Si laetus prius esse velis, quam viribus expers:
Instruxi tibi rite dapes, nunc ipse comesto.
Nam me inceptum opus ad se cunctas vertere curas
Sollicitum cogit. Naturae prima ministra,
Vim Coeli insinuans mundo, ac labentia certo
Tempora mensurans cursu, Phebeïa lampas
Per gyros ibat, Pryxaeo sidere juncta,
Per quos quaque die sese maturius effert.
Jamque ego in illa aderam; sed non me ascendere sensi,
Ni veluti mens praesentit, quod jam occupat illam.
Oh quantum radiare nova tum luce Beatrix
Debuit illa magis, quae tam ad meliora repente
Me vehit, ut nullum per tempus tenditur actus!
Quod Sol in se ipso, quem sum introgressus, habebat.
Non aliquem propter, quo excelleret ille, colorem,
At propter lucem, non ars ususque referre
Ingeniumve potest, ut sese ostendat imago:
Credere sed par est, exoptandumque tueri.
Si mens nostra nequit tantum se attollere in altum,
Nil mirum si oculi nequeunt tranxmittere Solem.
Talis erat gens quarta Patris, qui jugiter illam,
Ut genit ac spirat pandens, dulcedine complet.
Angelico Soli, tunc est mihi fata Beatrix,
Redde lubens grates, cujus te gratia ad istum

Deduxit clemens, humanis sensibus aptum.
Nullum cor hominis tam se perniciter unquam
Dedidit intenseque Deo, ceu vocibus illis
Tunc ego commotus: tanto sum captus amore
Numinis, ut fuerit mihi tunc oblita Beatrix.
Non aegre illa tulit, sed risit. Quo excita risu
Mens mea, quae Deo inhaerebat, se ad plurima vertit;
Namque, magis cantu dulces, quam luce micantes,
Tum multas Luces, quasi centrum, more coronae,
Cingere nos vidi; ceu Lunam lucidus ambit
Circulus interdum, quem densior efficit aer.
Numinis in celsis domibus, quibus ipse revertor,
Multae sum gemmae, quas hinc abducere nulli
Fas est: sunt adeo et pretio formaque valentes!
Ex his cantus erat: qui non ascenderit illuc,
Expectet, quod certa ferat sibi nuntia mutus.
Postquam nos circum ter decurrere canentes,
Astra suos veluti circumvertuntur ad axes,
Constiterunt; visaeque mihi sunt quale puellae
Quae choreas sistunt, labiisque silentibus adstaut,
Accipiant ut jussa novi primordia cantus.
Tunc una ex illis medio de lumine fari
Sic coepit: Quoniam radius, quem Gratia fundit,
Unde amor exoritur verus, qui crescit amando,
In te adeo effulget, scalam ut conscendere ducat,
Per quam nemo venit, nisi certus deinde reverti; (11)
Ex phyala quicumque sua tibi vina negaret,
Ut tua sit depulsa sitis, non liber is esset,
Tanquam flumen aquae, quod non descendat in aequor.
Floribus ex quibus haec constat, vis scire, corona,
Quae Divae intendit, te fulgida ad astra vehenti.
Ex agnis gregis ipse fui; quem tramite ducit
Gusmanus, quo pinguescit, qui haud devius errat.
Qui propius mihi dexter adest, ex urbe Colonia

Est hic Albertus, socius meus atque magister. (12)
Ipse ab Aquino sum urbe Thomas. Si nomina scire
Vis aliorum etiam, visu mea dicta sequare,
Percurrens oculis sertum. Qui fulgurat ardens
Ore renidenti, ille est cui dat gratia nomen; (13)
Sacras qui leges adeo et civilia jura
Adjuvit, res ut fuerit gratissima Coelo.
Alter ibi est Petrus, viduae qui pauperis instar
Ecclesiae ipse suum thesaurum tradidit almae. (14)
Pulcrior ante omnes, quae talem spirat amorem,
Lux quinta, ut mundus cupiat de hac discere quidquam, (15)
Est mens alta viri, cui tanta scientia rerum
Est data, si verum verum est, ut nemo secundus
Surrexit. Deinde illius prope conspice Lucem,
Altius angelicas, clausus qui corpore, dotes (16)
Atque ministeria inspexit. Lux parva subinde
Christiadum est is patronus, qui idola colentes (17)
Incessit calamo, unde sibi Augustinus adeptus
Est ad idem vires. Si Luces mente sagaci
Percurris, mea verba sequens, jam scire cupido
Te tenet octavam. Hic gaudet, fruiturque supernis
Deliciis, qui mundi et opes et dona dolosi
Detexit sapiens, si quisquam huic praebeat aures. (18)
Celdauri est corpus; sed spiritus inde revulsus
A nece et exilio pacem est sublatus ad istam.
Aspice jam Bedae atque Isidori fulgere Luces, (19)
Nec non Richardi, qui, plusquam semine natus
Mortali, res est scrutatus acumine mentis.
Hic (tuus unde mihi, jam sertum ex ordine mensus,
Nunc oculus redit), est Sigieri spiritus acer, (20)
Cui nimis est, curis gravido, mors visa morari:
Ille etenim vico, dederunt cui stramina nomen,
Edocuit Logicen, et vera odiosa retexit.
Dixerat. Ut, cum mane novo, quae temporis horas

Machina metitur, sponsam persolvere laudes (21)
Rite vocat Domino, quibus hunc sibi reddat amantem,
Altera pars aliam trahit, impellitque volutans,
Tinnitusque ciet, (dulci quo murmure motus
Spiritus acclinis sancto inflammatur amore);
Sic ego tunc illam circum se ferre coronam
Aspexi, dulcemque adeo simul edere cantum,
Notus ut esse nequit, nisi quo est aeterna voluptas.
XI. Oh caecas hominum curas, quam manca profecto
Argumenta adigunt pennis vos radere terram!
Clamosum ille forum, atque Machaonis iste colabat
Artem, alterque ministerium tendebat ad arae,
Alter quaerebat regno vi aut fraude potiri,
Is furto instabat, rebus civilibus iste,
Foeda hunc luxuries, hunc otia lenta tenebant;
His ego cum curis vacuus, caelestibus oris
Tanto exceptus eram, Diva comitante, decore.
Ut, gyro expleto, punctum dein quisquis ad orbis,
Unde profectus erat, remeavit, substitit illic,
Fixa suis haerent veluti funalia fulcris.
Ac luce ex media, de qua fuit ante locutus,
Subridens ac splendidior, sic orsus Aquinas.
Lucis ut aeternae radiis incendor, ibidem
Sic ego prospiciens, quod tu sub pectore condis
Intueor. Dubitas, atque uberiore doceri
Sermone exoptas, ut tu deprendere possis
Quod jam *pinguescit* dixi, et quod *nemo secundus*.
Quare ego utrumque tibi clare nunc pandere sumam.
Providus aeterna qui temperat omnia mente,
Cujus nulla potest acies attingere fines,
Heroas geminos almae, quam vocibus altis
Ipse sibi Christus, quaesitam sanguine, junxit,
Adlegit Sponsae; quorum moderamine fulta,
Tutius illa viam, quo tramite fertur ad ipsum,

Corriperet, fidumque magis servaret amorem.
Alter erat totus Seraphim fervoribus ardens,
Par alter Cherubim sapientis lumine mentis.
Unum ex his dicam; nam, quando dicitur unus,
Laudibus alterius laudatur protinus alter:
Tantum cura viris fuit una aedemque duobus!
Tupini inter aquas, manansque ex colle fluentum,
Quem pius hospitio quondam sibi legit Ubaldus,
Fertilis excelso dependet vertice terra,
Unde sibi a Solis porta aestivumque calorem
Sentit, et hibernum magis esse Perusia frigus;
Flentque jugo tristi Validum atque Nuceria retro.
Hinc, ubi mons facilem magis acclinatur in oram,
Ætherias olim Sol est exortus in auras
Noster ut exurgit nonnuquam Gangis ab unda:
Quapropter, si voce velit quis dicere vera,
Non locus Assisium, sed jure vocabitur Ortus.
Haud multum attigerat vitae, cum clara repente
Virtutis documenta dedit, solatia terris,
Quippe olli mulier, quam morte haud secius horrent
Mortales, totis sic est adamata medullis,
Ut patris indomitas ruerit fidenter in iras;
Atque, illoque palam sanctique Antistite templi,
Duxerit uxorem: inque dies ferventius arsit.
Illa diu, primi post funera dira mariti,
Donec is adveniens cupidas intenderet ulnas,
Mille fuit centumque super despecta per annos:
Nec juvit, vacuamque metu, placidamque quietis,
Inter Amiclatis nassas, sub nocte sopora,
Haud vocem pavisse Ducis, quem paverat orbis;
Nec tantas animo vires, fidumque tenere
Consilium, ut Christi sit scandere sola cruentam
Ausa crucem, cum Mater humi defixa maneret.
Verum age, ne videar nimiis ambagibus uti,

Accipe: pauperies uxor, Franciscus amator.
Dulces illorum visus, vultusque sereni,
Mirus amor, geminumque fovens concordia pectus,
Implevere novis hominum praecordia curis.
Haud mora: projecto denudat tegmine plantas
Bernardus, tantaeque sequens vestigia pacis
Antevolat, minimeque putat velociter ire.
Divitias veras, ignotaque gaudia vulgo!
Et volat Ægidius, volat et Silvester, et omnes
Se dedunt Sponso: Sponsae tam blanda cupido est!
Tum simul ingrediuntur iter, pater, uxor, et illis
Adstipata cohors, humili circumdata veste.
Nec genus obscurum, nec quem susceperat asper
Detinuit cultus: petit altae moenia Romae;
Pontificemque suae, quem Signia jactat alumnum,
Propositum mentis regaliter edocet: ille
Annuit incepto, ac primo munime sanxit.
Inde, ut magnanimi gressus sectata Magistri,
Quem fide siderea potius celebrare deceret,
Est inopum gens facta frequens, ac plurima crevit,
Rursus idem sancta compulsus Honorius aura
Esse ratum dedit, ac serto fulgere secundo.
Post, ubi sanguineam sitiens adquirere palmam,
Turcarum saevo Christumque suosque tyranno
Adstitit ipse docens; Fideique impervia naetus
Pectora, frugiferas Italûm remeavit ad oras,
Monte super rigido, Tibris caput inter et Arni,
Ultima Nazarei retulit signacula Regis,
Quae geminos annos transfixo in corpore gessit,
Donec qui tanto fuerat dignatus honore,
Sustulit aeterna meritum mercede potiri,
Quam sibi quaesierat, res sponte secutus egenas.
Fratribus ergo suis, haeredibus utpote justis,
Quae sibi praecipue fuerat dilecta Virago,

Commendat, stabilique fide paecepit amare.
Illius inde sinu se Spiritus almus in auras
Ætherias, sua regna, redux ad sidera tendens,
Extulit, haud alio dignatus membra feretro.
Hinc agesis jam scire potes, quis oportuit alter
Extiterit porro, cui dira per aequora tutam
Is datus est socius Christi deducere cymbam.
Hic nostrae dux gentis erat: qui rite proinde
Hunc sequitur, non ferre malam jam percipe mercem.
At nova grex hujus studiose alimenta requirit,
Ac varios ideo per saltus tescuaque oberrat;
Quoque abeunt longe, magis hinc ad ovile revertunt
Laetis oves vacuae. Sunt quae damnumque verentur,
Pastorique haerent: numero sunt attamen istae
Tam parvo, ut paucus satis est ad tegmina pannus.
Si clare mea dicta sonant, si intenderis aures,
Si menti haec revocas, tua partim expleta cupido est;
Namque vides plantam, a qua semet segmina scindunt,
Et sibi quid vult *pinguescit, qui haud devius errat.*
XII. Has voces Lux illa dedit, rursusque corona
Incepit gyrum; necdum cofecerat illum,
Altera cum circlo magis hanc circumdedit amplo;
Ac motum edebat festivaque carmina concors;
Carmina Sirenum tantum superantia cantus,
Castaliique chori, primus quàm luce reflexum
Exuperat radius. Duplex ut nubis aquosae
Volvitur in gremio, aeque distans, concolor arcus,
Cum jubet ancillae se ferre per aera Juno,
Extimus interno exoriens, (ceu Nympha loquenti
Respondet, nimii quae vi defecit amoris,
Solis ut igne vapor), qui dant praesagia genti
Ob pactum Noe, periturum haud imbribus orbem;
Haud aliter geminae nos circumiere coronae
Concordes. Postquam choreas agitare, simulque

Et cantu, inque vicem sibi jactis edere flammis
Gaudia desierunt, mente una ac tempore in uno,
Non secus atque oculi, ad libitum mentemque moventis,
Tempore clauduntur simul et reserantur eodem;
Unius ex medio Lucum fulgore novarum
Tunc vox insonuit; quare me protinus illuc
Verti, ut hyperboreum magnetica cuspis ad astrum.
Ille Amor, incepit, quo pulcra venustaque reddor,
Dicere me Ducis alterius decora inclyta cogit,
Per quem Dux meus eloquio celebratur honoro.
Non decet abjungi: veluti stipendia Christi
Emeruere pares, par laus debetur utrisque.
Christi electa cohors, cui sanguine reddidit arma
Ipse suo, segnis se post vexilla ferebat,
Et numero exiqua atque anceps, cum secula regnans
Omnia, Rex mundi, haud meritae, sed sponte suapte,
Addidit heroas geminos, ut dicitur ante;
Quorum dictisque ac gestis commota, referret
Devia gens gressum, Fideique ad signa rediret.
Parte illa, unde oritur placidi levis aura Favonî,
Reddat ut arboribus frondes, quibus undique sese
Induit Europa, haud multum procul aequore, post quod
Interdum, per iter longum, Sol se omnibus abdit,
Fortunata sedet Calagurris, subdita Regis
Imperio, cujus praefert insigne leonem
Substantem atque incumbentem (22). Hic est natus amator
Christiadae Fidei, athleta invictissimus ille,
Hostibus infestus graviter, sociisque benignus.
Mens fuit illius virtuti praedita tantae,
Ut matrem, concepta sinu, dedit esse prophetam.
Postquam illum atque Fidem fuit inter deinde peractum
Connubium, lustralem ad fontem, ubi uterque salute (23)
Mutua dotarunt sese, quae praebuit illic
Pro puero assensum, mulier per somnia mirum

Aspexit fructum, quem et is haeredesque dedissent.
Ut, re qualis erat, foret idem nomine, ductum
A Domino, qui hunc possedit, hinc Spiritus afflans
Nomen ferre dedit. Vere fuit ille colonus
Exercere suum Christus cui tradidit hortum;
Nuntius, et verax est Christi visus amicus.
Primus enim, quem pandit, amor fuit ire secutum
Consilium Christi primum (24). Sub nocte silentem
Insomnemque solo saepe illum sedula nutrix
Invenit, quasi diceret: haec ad munia veni.
O genitor vere Felix, vereque Joanna
Mater, si vere hac perhibetur gratia voce.
Deinde brevi, non ad quaestum, cui tendit ubique,
Qui scripta evolvit Taddei, et ab Ostia habentis (25)
Nomen; at, impulsus mannae veracis amore,
Ingens est factus doctor: tum vineam adire
Incepit, quae extemplo aret, si est cultor iniquus:
Ac Sedi, quae pauperibus fuit ante benigna
Plusquam nunc justis (non Sedis crimine, verum
Sessoris pravi) petiit, non reddere partem
Pro toto ut posset, non primi obeuntis haberet
Sacricolae ut fundos, nec quae debentur egenis
Praefixas decimas: contendere posse rogavit
Errantem adversus mundum pro semine, cujus
Vigintiquatuor circumdaris undique plantis.
Mox, fidens animi, ac doctrinae viribus auctus,
Munere apostolico, vena velut ubere torrens,
Irruit, haereticas stirpes filicemque revellens,
Acrius et pugnans, quo major sisteret obiex.
Diversi ex illo, Christi queis spargitur hortus,
Exierunt rivi, ac laetas dant surgere plantas.
Haec si propterea talis fuit orbita bigae,
Qua se defendit vicitque Ecclesia Christi
Civilem pugnam (26), hinc qualis fuit altera disces

Quam modo, cum nondum hic essem, celebravit Aquinas.
At, quem signarat prior orbita, deinde relictus
Est trames: quo crusta fuit, nunc mucor inhaeret. (27)
Illius saboles, sua quae vestigia rectis
Ingressa est pedibus, mores sic perdita vertit
Ut pedis anterior sit pars revoluta retrorsum:
At malus hinc cultus confestim ex messe patebit,
Cum lolium adductum non esse dolebit in arcam.
Dico equidem: nostri si forte voluminis ullus
Evolvat folia, inveniet quo legerit: ipse
Sum qualis soleo: (28) sed non ex Monte creatum
Ferrato, nec Aquasparte deprenderis esse:
Tales hinc veniunt, quorum alter laxat, et alter
Ordinis angustat leges. Me Balnea-regis
(Sum Bonaventura) ediderunt; qui vectus ad alta
Munia, praeposui terrenis caelica curis.
Hic a lumine nomen habens, (29) atque Augustinus,
Cannabe qui vincti, ac nudati tegmine plantas,
Primi haesere Deo: sunt hic doctissimus Ugo
Atque Comestor Petrus, praeclarusque libellis
Bissenis Petrus Hispanus, Nathamque propheta,
Et Chrysostomus, Anselmusque, ac ille latinae
Donatus linguae dignatus scribere leges:
Hic Raban, fulgensque mihi splendore propinquo
Est Calaber Joachin, cui mens praesaga futuri.
Has ego sum meritas heroi reddere tanto
Commotus laudes, sociique perinde fuerunt,
Officio ex flammante Thomae ac sermone benigno.

XIII. Finge animo, quisquis penitus cognoscere flagra.
Dudum visa mihi (et firmo sub pectore serva
Quae referam, nullo ceu mobilis impete cautes);
Finge animo ter quinque, ajo, flammantia signa,
Quae varias Coeli partes fulgoribus ornent,
Ac superent quidquid spissae caliginis obstat;

Adjicias septem, formantes plaustra, triones,
Nescia caeruleis se mergere marmoris undis;
His adde os cornu illius, quod cuspide ab axis (30)
Incipit, ad quem se volvit prior orbita plaustri.
In geminam solers haec sidera necte coronam,
Qualem olim fecit Minois filia regis,
Cum se funereo comprendi frigore sensit.
Altera in alterius radiis inclusa vicissim
Fulgeat, ac celeris circum sese utraque verset,
Ut tamen internae respondeat extima semper.
Haec si perficias animo, duplicisque catervae
Effigiem paulum agnosces duplicisque choreae,
Quae nos circum ibat: nostro nam discrepat usu,
Quantum cursus iners labentis in aequora Tanis
Discrepat a rapida summi vertigine Coeli.
Edidernnt cantum: non est celebratus Apollo,
Nec qui pampinea redimitur fronde Lyaeus,
At divina, tribus personis unica, utramque
Divinam humanamque simul Substantia jungens.
Ut cantum ac gyrum explerunt, ea Lumina nobis
Adstiterunt, gavisa ex cura invadere curam.
Tunc iterum, socios inter, sic orsus Aquinas:
Postquam trita seges, vectumque est semen in aedem,
Dulcis amor terere hinc aliam me protinus urget.
Illi hominum patri, cujus de pectore ducta
Prima fuit mulier, mundum quae perdidit omnem,
Praetereaque illi, qui pectus cuspide fossus
Satque superque omnes reparavit funere culpas,
Quod natura humana potest sibi lumen habere,
Tu reris tribuisse Deum, qui fecit utrumque;
Atque hinc mirari s me jam dixisse, secundum
Non habuisse virum, quinto qui includitur astro.
Nunc verbis adverte meis, clareque videbis
Quod tua non secus ac mea se sententia vero

Insertant, veluti centro se linea duplex.
Quaeque mori possunt, et quae sunt nescia leti
Splendor sunt Ideae illius, quam noster amando
Rex gignit: lux namque suo de lumine manans,
Semper et illi juncta, et, in his qui est ternus, Amori,
In (*) res ter trinas, veluti specularia, lucem
Congregat, ex bonitate sua; nec diditur unquam,
Una eademque manens: mox sensim ex ordine certo
Perque gradus adeo descendit, ut obvia leto
Progeneret, cursumque brevem victura dierum.
Haec sunt, quae vel semine, vel sine semine, Coelum
Circumiens creat. Horum cera et causa creatrix
Non est certe eadem; plus proinde minusque nitorem
Ostendunt ideae: quare specie arbor in ipsa
Plusve minusve parit, varioque in tempore, fructus,
Et vos ingenio varii ac virtutibus estis.
Si pariter cera et Coeli vìs integra semper
Esset, parèret semper lux tota sigilli:
Verum Natura extenuat, ceu callidus arte
At dextra trepidans opifex. Si captus amore,
Ipse Deus vero ceram disponit, ibique
Ipse ideae infundit lumen, tunc praedita cunctis
Structura est numeris, perfectaque prorsus habetur.
Primus ita est genitor, factusque in Virgine foetus:
Quare ego naturam humanam nunquam ante fuisse,
Nec fore, convenio, fuit olim qualis utrique.
Si finem hic fandi faciam, tu: quomodo, dices,
Huic par nemo fuit? Ne te, quod noscere nescis
Ulterius lateat, reputa quisnam esset, et illum,
Cum *pete* responsum est, quae causa rogare coegit.
Non ita sum fatus, ne tu deprendere posses
Quod rex ille fuit, quod ei sapientia quaesta est,
Ut populum recte fraenaret legibus aequis;

(*) *Novem Coelos*

Non numerum illorum ut sciret, queis cura supernos
Est versare globos; nec qualis clausula surgat
Praepositis dictis, quorum unum haud esse necessum,
Unumque esse, ait: haud petiit primordia motus
Discere vel causas; nec si formare trigonem
Hemicyclus possit, desit cui cuspide recta
Angulus. Imperii moliri tuta rogavit
Fraena manu, et justas Astreae attollere lances.
Haec reputans, disces quod summa *scientia* cunctis
Prae reliquis, est dicta mihi prudentia regis:
Et si quod dixi *surrexit*, lumina vertas,
Me tantum cernes de regibus esse locutum;
Quos multos, paucosque bonos est cernere terris.
Sermonem sic dide meum; nec differet illi,
Quae tibi de Adamo et Christo est sententia menti.
Hac semper tibi sit, pedibus quasi plumbea moles,
Ut lente incedas, non secius atque viator
Fessus, sive neges quae tu non rite tueris
Sive haec affirmes: quippe is malesanus et amens
Est valde, qui, nulla tuens discrimina rerum,
Asserit atque negat. Communis opinio saepe
Errat; amorque sui tendit dein vincula menti.
Quisquis avet verum piscari, nescius artis,
Plusquam nequidquam solvit de littore cymbam,
Non etenim, qualis discedit, deinde revertit.
Sunt multa exempla in terris: sic tramite torto
Parmenides ac Brixus iit, Samiusque Melissus,
Atque alii, ignari sua quo vestigia ferrent:
Sic exinde Sabellius atque nefandus Arius,
Stultique illi omnes, qui sacris vulnera chartis
Intulerunt, veros obnixi vertere sensus.
Ne nimium temere quis judicet, illius instar
Qui segetem, nondum maturam, existimat arvis.
Quippe ego per brumam sentes horrescere vidi.

Ac molles mox ferre rosas; vidique carinam
Per mare felicem zephyris ad vela secundis
Ire viam, ac portus mox ipsa sub ostia mergi.
Neve putet Bertha ac Titius, si admittere furtum
Quem videat, sacrisque alium dare muncra templis
Cernere de hisce Deus quidnam decrerit utrisque;
Alter quippe potest labi, consurgere et alter.

XIV. Ex ora ad centum, aut ex centro fertur ad oram
Mobilis unda, sinu vasis comprensa rotundi,
Utpote sive extra fuerit percussa, vel intus.
Haec mihi tunc animum subiit conformis imago,
Cum fari desîtque Thomas, coepitque Beatrix. (31)
Huic opus est, inquit, quamvis non ore loquatur
Necdum mente putet, aliud cognoscere verum.
Dicite: quae vos nunc vestit, lux alma per aevum
Jugis erit? Si jugis erit, cum corpora rursus
Sumpseritis, non vos laedet, visumque gravabit?
Quales, qui choreas ducunt, si gaudia pectus
Interdum majora invadunt, altius illi
Attollunt vocem, atque hilarant festiviter actus;
Sic motu et cantu, gemino sese orbe ferentes,
Laetitiam his dictis magis ostendere catervae.
Si genus humanum superae dulcedinis imbrem
Nosceret irriguum, non longo incessere questu
Ad tanta auderet ducentem gaudia mortem.
Ille unus, binus, trinus, qui, nescius ortus,
Æternum regnat trinusque et binus et unus,
Omnia comprendens, non comprensibilis ulli,
Ter cantu celebratus erat, modulamine tali,
Quod meritum juste quodcumque rependere posset.
Fulgidiore mihi ex orbis tum Luce minoris
Vox audita humilis (quali jam forte locutus
Angelus est Mariae) confestim talia dixit:
Quantum coelestis durabit gloria, tantum

Hoc se noster amor praecinget lucis amictu.
Ardorem sequitur splendor, sequiturque perinde
Visum ardor, visumque est tantus, Gratia quantum
Dat super humanas vires. Caro reddita quondam
Cum sit spiritibus, reparato corpore nobis
Tunc erit integitas, et major gloria: quippe
Auctum lumen erit, donat quod sponte benignus
Omnipotens, quod eum facit inspectare potentes:
Augendus proinde est visus, augendus et ardor
Qui calet ex illo; quemque ardor parturit, ipse
Splendor item augeudus. Sed enim, carbonis ad instar.
Qui flammas ciet, ac flammis apparet in ìsdem,
Nescitque hisce tegi; sic talis corpore fulgor
Vincetur, quod putre sinu nunc terra recondit:
Nec nobis lux officiet; nam sensibus illa
Vis erit, ut valeat cuncta oblectamina ferre.
Haec ait; atque chorus sic *amen* dixit uterque
Protinus, ut cupidi sint visi assumere corpus.
Nec fors se propter tantum, at carosque parentes,
Quique sibi jam junxit amor, cum terra teneret,
Ac nondum ardentes lucerent aethere flammae.
Ecce autem, par luce nitens, super adstitit alter
Claror utrumque chorum. velut aer Solis in ortu.
Utque nova apparent per Coelum vespere signa
Incerta et dubia; haud aliter mihi cernere visum
Est illic alias Animas, et ducere gyrum
Exterius, claudentem alios intrinsecus orbes.
Flaminis o divi lux verax! quomodo fulsit
Tanta meis oculis subito, ut perferre nequirent!
At mihi tam pulcram, tam se obtulit alma Beatrix
Ore renidentem, ut visa inter cetera cogar
Linquere, quae memori haud potui illinc mente referre.
Reddita vis hinc est oculis, illosque levavi;
Atque aliud Celum me Ductricemque tenere
Protinus aspexi: me more rubentior orbis

Altius evectum docuit. Pro munere tanto,
Toto animo, atque illa, quae est omnibus una, loquela
Rite Deo feci; ac nondum de pectore fervor
Sacri aberat, faustum sensi acceptumque fuisse;
Namque duas inter rutilas effulgere zonas
Splendores vidi, rubra tam luce coruscos
Ut: Deus omnipotens, dixi, qui hos taliter ornas!
Inter utrumque polum veluti via lactea candet,
Consita sideribus, quae dat dubitare peritos,
Consita spiritibus, duplex sic zona, profundo
In Martis gremio, edebat venerabile signum,
Quod solet in circlo ex junctis quadrantibus edi.
Deficit ingenium memori nunc debile menti:
Nam cruce in hac Christus radiabat; et ipse referre
Exemplum nequeo, cujus rem pandat imago.
At quisquis capiatque crucem Christumque sequatur,
Donabit veniam, si cogor omittere quidquam,
Lumine in hoc tanto aspiciens effulgere Christum.
Ibant ex cornu in cornu, sursumque deorsumque
Illustres Animae, scintillas usque cientes,
Et cum praetereunt et cum junguntur amice.
Sic brevibus, longis, curvis, rectisque figuris
Raptimque ac lente volitant corpuscula saepe
Per lucis radium, tranantis in aedibus umbram,
Quas sibi gens hominum solerti construit arte.
Ac veluti lyra sive chelys, quae tensa perite
Multarum fidium grato modulamine mulcet
Ignaros etiam numerorum artisque canorae;
Sic melos ex illa prodibat imagine quoddam,
Quod me surpuerit mihi, quamvis verba laterent.
Esse quidem sensi magnae preaconia laudis;
Quippe *age surge et vince* mihi veniebat ad aures,
Tanquam illi, qui cantum audit, nec carmina novit;
Meque is concentus tanto capiebat amore,

Ut me etiamtum nil adeo devinxerit arcte.
Forte nimis mea verba audent, cum lumina Divae
Posthabeant, quorum visu mens tota quiescit:
At quisquis reputat, formae haec cujusque sigilla, (32)
Quo magis ascendunt, majorem adquirere formam,
Ac mea tum Divae non lumina versa fuisse,
Culpae, quam fateor me purgaturus, amicam
Donabit veniam, cernens me dicere verum:
Non hic dicta mihi nimirum est dia voluptas,
Quae magis ac magis augetur, quo celsius itur.
XV. Quae spiranti recte ab amore benigna voluntas
Semper (ut ex mala iniqua cupidine) manat,
Has tacuisse dedit, Caeli quas dextera chordas
Temperat omnipotens; citharaeque silentia fecit.
Quomodo caelestes Animae succurrere justis
Abstineant votis, si tunc, ut vota libenter
Ferre sibi possem, siluerunt uniter omnes?
Iure ille ac merito poenis torquetur in aevum,
Qui, res ut fluxas amet, hunc abjecit amorem.
Quale per aetherios tractus sub nocte serena
Interdum subito transcurrit lucidus ignis,
Impellens, conversa alio, sibi lumina verti
Spectantis; sidusque locum mutare videtur,
Ni quod, qua exoritur, nil defit, et ille per auras
Solvitur extemplo; sic dextra ex parte revulsus
Spiritus est Crucis, atque hujus descendit ad imum:
Tenia nec gemmam liquit; sed clara cucurrit
Per zonam, velut ignis post alabastra refulgens.
Non secus Anchisae pia se tum praebuit Umbra,
(Siqua fides Musae, qua non est altera major),
Cum sibi in Elisiis est natus visus adesse.
O sate gente mea, (oh omnipotentis abundans
Gratia!) cui bis, ut tibi, aperta est janua Celi!
Sic ea Lux dixit. Versus sum protinus illi;

Mox Divam in comitem defixi lumina; et illinc
Atque hinc obstupui: talis nam ardebat ocellis
Risus, ut ipse meis fundum contingere gratiae,
Ac paradisi deliciis gaudere putavi.
Auditu ac visu hinc dulcis, verba addidit ille,
Non comperta mihi: usque adeo est arcana locutus!
Non sponte obscura est fatus, sed oportuit esse
Obscurus sermo; quoniam sententia mentem
Mortalem anteibat. Postquam deferbuit ardor,
Ac coepit sermo ad nostrum descendere captum,
Sint tibi, o Une Triplex, audivi dicere, grates,
Qui tantum dignare meo de sanguine cretum;
Addidit inde sequens: Longam gratamque, legenti
Librum illum, cui nunquam atrum mutatur et album, (33)
Jam mihi collectam, tu me saturare dedisti,
Nate, famem, hoc medio, quo te nunc alloquor, igne,
Hujus ope, ad tantum quae ascensum praebuit alas.
Tu reris percepta mihi tua vota superni
Principis aspectu, veluti quicumque trahatur
Ordine prolixo, numerus sobolescit ab uno;
Ac mihi propterea desistis quaerere qui sim,
Et cur hos inter videar jucundior omnes.
Haud vero abludis: majores atque minores
In speculo hic cernunt Animae, quo cuncta, priusquam
Mens ea cencipiat, penitus detecta videntur.
Verum, ut divus Amor, cui jugiter haereo, qui me
Dulci ardore replet, melius sese expleat, ede
Securam ac laetam vocem: quae pectore gestas,
Omnia pande alacer; sunt jam responsa parata.
Tunc ego me ad Divam verti: audiit illa, priusquam
Ediderim vocem; talique adrisit amico
Intuitu, ut major mihi fandi est facta cupido;
Atque ita dehinc coepi: Vobis, est maxima postquam
Visa Æquabilitas, lux mentis, cordis et ardor,

Sunt omnino pares; nam, sic est aequus uterque
Soli, qui vos igne fovet, ac lumine lustrat,
Ut nulla hoc penitus clarari ab imagine possit.
At lumen mentis mortali, cordis et ardor,
Propter, quae non est vobis incognita, causam,
Imparibus surgunt alis; ac deficit illa
Proinde mihi paritas, mortali stirpe creato;
Atque ideo, qua me excepsti, nisi pectore, grates
Reddere laetitiae nequeo. At, te deprecor, alma
Lux hujus gemmae, proprium da noscere nomen. —
Arboris o frons cara mae, tunc rettulit ille,
Quam mihi tam dulcis fuit expectare voluptas,
Sum tua radix: ille, tuae qui nomina genti
Addidit, ac montem peragrat centum amplius annos
Circuitu in primo, meus ille est natus, et idem
Est proavus tuus. Huic longum breviare laborem
Est opus incumbas, meritisque rependere noxas.
Circuitu in vetere (ex quo nunc quoque discitur illi
Tertiaque ac nona) integra morum et sobria cultu,
Securos in pace dies Florentia agebat.
Non ibi tunc aderant armillaeque, atque coronae;
Calceolis non ibat acu tum femina pictis,
Ac membris spectanda minus, quam divite cinctu;
Exoriens nondum terrebat filia patrem;
Fines quippe suos et dos et tempus habebant: (34)
Non domibus deerant gentes: non, probra pudoris
Turpia ut inveheret, rex Sardanapalus ab oris
Venerat Assyriis; ac nondum nomine collis (35)
Ex volucrum dictus, Marii de nomine dictum
Vincebat montem; qui, tanquam vincitur alto
Ascensu, vincetur item subeunte ruina.
Bellincionum Bertum ego vidi incedere pelle
Atque osse incinctum, speculumque relinquere nuptam
Illius, haud fuco inspersam. Quos Merlia cives

Clarabat gens, et pariter qnos Vecchia, vidi
Pellibus indutos nudis, dum pensa trahebant
Illorum nuptae, ac versabant pollice fusos.
O ter felices! patria decumbere terra
Post mortem certae; nec, Gallica signa petenti
Ulla erat, assimilis viduae, deserta marito.
Altera lactenti insomnis, cunabula juxta,
Praebebat puero blandis solatia verbis,
Quae prius oblectare solent matresque patresque:
Altera, pensa colo ducens, adstantibus acta
De Fesutis Romaque suis narrabat et Ilio.
Par monstro tunc aut Lapus aut Cianghella fuisset,
Ut nunc aut Curius foret aut Cornelia monstrum.
Tali in laetitia morum, dulcique quiete,
Hos inter cives, et in hac adeo urbe beata,
Me dedit in lucem Maria, alte hanc matre vocante;
Zacharidaeque sacro ablutus baptismate templo
Christiadum Fidei adscitus, et nomine dictus
Cacciaguida fui. Fraterno sanguine junctus
Unus et alter erat, Morontus Elisaeusque.
Uxorem mihi ab Eridano Ferraria misit;
Atque ea tum vestrae fecit nova nomina genti.
Induperatoris dehinc sum vexilla secutus
Conradi, qui claro equitis me ornavit honore.
Tam bene me gessi, ac placui! Comitatus iniquam
Hunc sum inde in gentem, quae, vobis debita, regna
Occupat injuste, Pastoris crimine; ibique
Gens ea me turpis mundi fallacis ab oris
Eripuit, cujus multi turpantur amore,
Atque ita, martyrium passus, sum hac pace potitus.
XVI. Non ego mirer, nobilitas o parvula nostri
Sanguinis, in terris si corda tumescere faxis,
Quo boni amor languet, cum te, quo est recta cupido,
Scilicet in Caelo, intumui. Tu vestis es instar,

Quae, nisi quid saepe adjicitur, cito deficit; omnes
Quippe dies illam decerpit forcipe tempus. —
O vos (majoris numeri, quem Roma recepit,
Ac deinde abjecit, fari pronomine coepi;
Quaeque parum abstabat, risit divina Beatrix;
Ac visa est, quae tussit ad oscula prima Ginevrae.)
Vos genitor, dixi, meus estis, et inclyta origo;
A vobis mihi plena venit fiducia fandi;
Me sic erigitis, ut me sim maïor ipso;
Totque meum rivis perfundunt gaudia pectus,
Ut laeter tanto nequaquam flumine rumpi.
Ergo age, prima meae radix carissima gentis,
Dicite majores vestros, et qualis, in auras
Cum vos existis vitae, decurreret annus:
Dicite item sancti quantum esset ovile Ioannis,
Quique tenere forent magis alta sedilia digni. —
Ut fervet, viresque capit, spirantibus auris,
Ignitus torris, blandis sic vocibus arsit
Clarior ille meis; et, quo majore refulsit
Luce, magis dulci retulit dehinc orsa loquela,
(Non autem qualis nestro nunc personat ore);
Atque ait: Ex illo, Caeli quo nuntius Ales
Dixit *ave*, ad partum, quo me sub luminis auras
Effudit, nunc regna tenens caelestia, mater,
Centum quinque vices, tres, quinquagintaque, sidus
Hoc rediit, Nemei refovendum calce leonis.
Ipse meique patres ad vitam venimus illa
In regione, prius quae se currentibus offert
Ultima, certamen cursus cum rettulit annus.
Qui fuerint patres, atque huc sese unde tulerunt,
Ignorare magis, pnto, quam memorare decorum est.
Arma quibus validae vires gestare sinebant
Zachariden Martemque inter, pars quinta fuerunt
Nunc ibi viventum; sed gens, nunc semine mixta

Certaldi et Campi et Fighine, erat omnis ad imum
Pura fabrum. Has gentes, quas dico, quam habere fuisset
Finitimas melius, sic ut Galluzzius urbis
Et Tresplanus terminus esset, quam intus habere
Ruricolaeque pati foetorem ex Agulione,
Atque viri ex Signa, fraudes jam nectere noti.
Si gens, quae plus degenerat, non dira noverca
Caesaris extiterit, sed matris more benigna, (36)
Quidam, qui nunc est civis, mercatur, et ambit,
Iret, quo ibat avus, Semipontem quaerere victum;
Montemurlus adhuc Comitum sub jure maneret
Contentus; Cerchique forent, ubi pastor Aconem
Convocat aere cavo populum; et fortassis amarent
Nunc quoque Valdigravi tuta otia Bondelmontes.
Commixtura hominum semper pessumdedit urbes,
Corporibus ceu multa nocet mixtura ciborum:
Caecus humi taurus caeco ruit ocyus agno;
Ac plus saepe unus, quam quinus, dissecat ensis. (37)
Si videas ut Lunae urbs, atque urbs Salvia pessum
Ante ierint, et nunc pariter Senogallia, et altum
Clusium eant, non humanas mirabere gentes
Dilabi, cum urbes etiam labentur et ipsae.
Non secus ac vos, res vestras Mors impetit omnes:
At latet in quadam: longo nam tempore vivit,
Ac vobis est vita brevis. Ceu marmoris aestu
Circumiens nunc Luna tegit, nunc littora nudat,
Sic vario Fortunae agitur Florentia pulsu.
Non erit hinc mirum, hujus quod de civibus urbis
Praeclaris referam, jam tetra oblivia passis.
Ipse Catellinos vidi, Ugosque, atque Philippos,
Ermannos simul, et Grecos, atque Albericos,
Jam declinantes, claro olim sanguine cives.
Et vidi genere antiquos opibusque potentes
Ex Sannella atque Arca. Saldaneria visa

Est simul, Ardinghique mihi, Bosticaque pubes.
Pòrtam urbis supra (quae nunc est pondere tanto
Nequitiae gravis, ut navis cito pressa fatiscat)
Ravegnana fuit domus; ex quo sanguine Guidus
Dehinc venit Comes, et quot Bellincionus honorat.
Norant fraena manu Pressenses flectere; et ensis
Auratus, Galigaja, tibi fulgebat in aede.
Jam grandescebat Vaji procera columna,
Sacchetti, Guochi, Sifantes, atque Barucei,
Gallique, et modius quibus inficit ora rubore. (38)
Jam stirps magna erat, ex qua gens Calfuccia: fasces
Patricias Arrigucci Gitiique tenebant.
Qualis honos genti, quam multa superbia fecit
Indecorem! quantumque dabant, Florentia, cunctis
Te ex auro fulgente pilae clarescere factis! (39)
Tali se illorum patres tunc more gerebant,
Qui, quoties vacua est sedes Antistite, pingui
Implentur, sacrisque agitant convivia tectis.
Improba gens, quae, vana tumens, irascitur illis
Qui fugiunt; his, qui loculos aut cornua monstrant,
Mitior est agno, jam tunc ab origine parva
Surgebat; quare Donatus abhorruit illi
Cognatus fieri. Iam Caponsaccus in urbem
Venerat ex Fesulis; jamque Infangatus, et una
Iudas civis erat. Quod vix est credere, dicam,
Et tamen est verum: parvam intrabatur in urbem
Per portam, Perae dictam de nomine gentis.
Quot Ducis eximii, cujus memorantur honores
Rite Thomae in festo, pulcris se insignibus ornant,
Hinc his nobilitas et militia evenit, etsi
Nunc sese populo associet, qui haec cinxerit auro.
Iamque et Gualterotti Importunique vigebant.
Et nunc vicus adhuc gauderet pace, propinquis
Si fuerit caruisse novis. Domus, unde coorta

Ob justam est iram clades, quae depulit omnem
Moenibus ex vestris pacem, ac vos perdidit ipsos,
Multo in honore erat, atque omnes sibi sanguine juncti.
Quam male, Bondelmontiade, connubia gentis
Fugisti istius, monitis muliebribus actus!
Multi vitam agerent laeti, quos occupat angor,
Si Deus omnipotans Henae te merserit undis,
Cum primum venisti urbem: sed deinde decebat
Truncam illam petram, quae pontem respicit Arni, (40)
Urbis ut occideres extremae victima pacis.
His cum gentibus, atque aliis, mihi ducere visa
Est laetam placidamque adeo Florentia vitam,
Ut nulla illi esset lacrymas effundere causa;
Atque adeo populus justusque ac plenus honore,
Lilia uti nunquam pilis inversa doleret, (41)
Nec per dissidium rubro depicta colore.

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER XI.

XVII. Qualis adît Climenen matrem, sciturus an esset
Quod sese audierat contra, poscentibus ille
Qui dat adhuc natis parce indulgere parentes;
Sic tunc ipse fui: talem me diva Beatrix
Novit, et illa locum Lux quae mutaverat ante
Ad mecum effandum. Ac Mulier mihi dixit: ab imo
Prome sinu, ac tibi qualis inest da nosse cupido;
Non quod nostra tuis verbis augescere possit
Cognitio; sed ut assuescas aperire loquendo
Quae te urit sitis, atque alius tibi misceat undas. —
O mea stirps, dixi, qui adeo te attollis in altum,
Ut, punctum inspiciens, cui tempora cuncta patescunt,
Clarius intueris quae sunt exinde futura,
Quam nobis sit scire datum, non posse trigonem
Obtusos cohibere duos; cum Tartara adirem,
Virgilio comite, et lustralis culmina montis,
Dura mihi audivi fieri praesagia vitae.
Quamvis fortunae nullo deterrear ictu,
Scire temen vellem quid sit mihi triste futurum;
Quippe, procul visae, levius nocuere sagittae.

Sic ego sum fatus Luci, quae erat ante locuta,
Utque Beatrici est visum, mea sensa retexi.
Isque paternus Amor, risuque ac luce suapte
Inclusus, non obscuris ambagibus, olim
Qualibus illudi gentes suevere, priusquam
Agnus leto esset, delet qui crimina, missus,
At liquido eloquio, ac verbis respondit apertis:
Eventus rerum, vestrae quos pagina mentis
Non habet inscriptos, omnes ex ordine picti
Ante Deum apparent; at non magis inde necessum
Accipiunt, quam prona ratis, per flumina currens,
Accipit ex visu longe spectantis ab ora.
Hinc mea, de fidibus veluti concentus ad aures,
Qui te deinde manent, veniunt ad lumina casus.
Urbe velut patria discessit, fraude novercae,
Hippolitus, tibi sic linquenda est patria tellus.
Hoc jam agitur, jam hoc instruitur; nec tempus abibit
Longum, quin hoc perficiat, qui cogitat illic,
Christum ubi dat venum lucri insatiata cupido.
Ut solet, offensos per vulgus culpa sequetur;
At verum dabit, unde oritur, vindicta patere.
Quod magis est gratum, quod diligis, omne relinques:
Haec prima exilii vibratur cuspis ab arcu.
Quam durum agnosces per scalas ire redire
Alterius, quam salsum alieno vivere pane.
At gravius veniet sociis tibi vulnus ab ipsis,
Qui tecum pariter vallem labentur in istam;
Quippe ingrati omnes, impîque, ac mente carentes,
In te iras vertent: non longa at temporis aetas
Ibit, et opprobrium, non te, sedenim opprimet illos.
Exitus infelix, insanaque gesta probabunt
Nequitiam illorum; et te îs abjunxisse decebit.
Hospitium primum, rebusque levamen in arctis,
Vir tibi magnus erit, cujus sanctusque volucris

Ac scala insigne exornat: sic ille benignam
Ostendet mentem, ut praevertat vota precantis.
Illius agnosces fratrem, qui sidere ab isto
Sic fuit impressus nascens, ut grandia quondam
Facta gerat. Nondum gentes sensere, virentem
Propter adhuc vitam; nam vix nonum attigit annum.
At, prius Henricum quam Vasco fefellerit altum, (1)
Illius effulget virtus, vincensque labores
Aurumque indignans: illius munera opesque
Largifluas ipsi celebrabunt laudibus hostes.
Hujus in auxiliis tibi sit fiducia cordi.
Multam hic mutabit gentem, ditesque inopesque (2)
Ad meliora vehens. Memori haec tu pectore serva,
Quae dicam, ac nulli referas. Tunc talia dixit,
Queis adhibere fidem poterunt vix illa videntes.
Addidit inde sequens: Fili, velamine dempto,
En detecta tibi, tibi quae jam dicta fuerunt;
Ecce tibi insidiae, quas non longa occulet aetas.
Civibus at nolo invideas: tua quippe vigebit
Vita magis longe, quam dent pro talibus ausis
Hi meritas poenas — Cum Spiritus ille, silendo
Stamina pro qua praebueram, subtegmina telae
Inseruisse est visus, ego, ut qui poscit amici
Consilium, cui sit virtus ac fida voluntas,
Dicere tum coepi: Video, pater optime, tristem
Adventare diem, qui me tali impetet ictu,
Quo magis is premitur, minus est cui provida cura: (3)
Prudenti est igitur valde mihi mente cavendum
Ne, pulsus patria, dulci si sede carebo,
Deficiant aliae, mea propter carmina, sedes.
Per mundum infernum, ac montem ex quo diva Beatrix
Me in Caelum erexit, Celique volubilis orbes,
Quaedam ego deprendi, quae si dein forte revelem,
Sint vereor multis et tristia et aspera valde;

Ac vereor quoque, si pavidus sim dicere verum,
Ne vivam hos inter, qui haec tempora prisca vocabunt.
His dictis, majore arsit Lux illa nitore,
Non secus ac aureum speculum sub Sole refulgens;
Mox inquit: Mens, sive suae, seu conscia culpae
Alterius, telum illa tui sermonis acutum
Sentiat; at, quae visa tibi, tamen omnia pande;
Et, mala cui scabies prurit, sibi confricet artus.
Aspera si primum fuerint tua verba, salutem
Mox meditata ferent: velut alta cacumina ventus
Concutiens, tua vox erit: atque hoc nobile signum
Magnanimi est cordis. Tibi sunt hoc propter in istis
Orbibus, in monte, atque inferni vallibus imis,
Hi tantum ostenti, quos dat notescere fama:
Namque per exempla, ac documenta carentia visu,
Cum res narrantur, quarum est abscondita radix,
Non his auditor mentemque animumque quietum
Applicat; indocilisque fidem praebare recusat.
XVIII Iamque silens, quae fatus erat, sub corde beatus
Spiritus ille suo dictis gaudebat (4): et ipse,
Haec eadem reputans, dulci medicabar amarum;
Quaeque videre Deum Mulier me diva ferebat,
Haec animo dimitte, inquit; perpende quod illum
Sum prope, eique adsum, qui offensas elevat omnes.
Continuo ad dulcis versus solatia vocis,
Qualem oculis sanctis vidi tum fulgere amorem
Praetereo; non quod mihi deest fiducia fandi,
At quia ni quis deducat, memor ipsa referri
In se mens nescit: dumtaxat dicere possum,
Quod me his intentum, tum caetera cura reliquit:
Nam jubar aeternum, se ex illius ore reflectens,
Memet laetitia explebat. Sed lumine risus
Tunc ea me vincens: jam te verte, inquit, et audi:
Non tantum est nostris oculis aeterna voluptas.

Ut solet hic nosci ex vultu quandoque cupido,
Cum rapitur, curaque animus defigitur una;
Sic ille, ut me converti, se Splendor habebat
Non satur eloqrii, atque ait: Hoc in limine quinto (5)
Arboris, e summo ducit quae vertice vitam,
Ac semper sese foliis ac fructibus ornat,
Sunt Animae egregiae, quae, dnm vixere, cluebant
Fama adeo, ut quaevis posset ditescere Musa.
Cornibus ergo Crucis tua lumina fige: videbis,
Nomine quam dicam, velociter ire per illam,
Non secus ac rapidus fertur per nubila fulgur.
Nomine tum Iosue Lumen discurrere vidi,
Nec dictum prius aut factum dignoscere quivi.
Vidi aliud magni Machabei nomine; et, instar
Turbinis, in gyrum concepta ob gaudia volvi.
Hinc duo, ob Orlandum germenque illustre Pipini, (6)
Lumina conspexi, atque oculis sum utrumque secutus,
Fixus ut accipitrem suspectat nubibus auceps.
Mox et Guilelmus, Rinoardus, duxque Gofredus,
In Cruce paruerunt mihi, Guiscardusque Robertus;
Commixtusque aliis se Cacciaguida ferebat,
Ostendens, qualis Caeli in cantoribus esset.
Ut mihi, quidnam agerem, vel dicto aut panderet actu,
Sum latus in dextrum versus, quo diva Beatrix
Adstabat; tamque illi oculos effulgere puros
Laetosque aspexi, ut nunquam sic ante solerent.
Ac veluti, quo quisque magis bene gaudet agendo,
Hoc sibi praesentit majus virtutis adeptum;
Sic ego tum sensi, magis illam effulgere cernens,
Quod mihi, cum Caelis vadenti, creverat arcus. (7)
Ut propere exuitur mulier, quo tincta pudore
Aute fuit, primoque genas candore colorat,
Sic oculis fuit illa meis, cum me inde reflexi,
Candorem ob sexti, quod nos exceperat, astri.

Scintillare Auimas Ioviali hoc sidere amantes
Vidi, nostrique eloquii formare figuras.
Littoribus veluti volucrum cum turba relictis
It Caelo, cantum attollens, quasi pascua gratans,
Agmine nunc longo incedens, nunc orbe rotundo;
Talis, quaeque suo conclusa in lumine, cantum
Edebat volitans; varioque ex ordine formans
Nunc D, nunc I, nunc L, sese quaeque movebat
Cantando prius in numerum; ex his deinde figuris
Componens unam, stabat paulumque silebat.
O quae, Musa, tuo ingeniis das numine vires
In decus, aeternumque facis durare per aevum
Ipsosque, ac illorum in carmine regnaque et urbes,
Me, precor, illustra, ut, quales sunt mente repostae,
Evaleam retulisse notas: fac, Diva, patescat
Versibus his nostris brevibus tua magna potestas.
Vocales triginta ac quinque, et cum hisce sonantes,
Se mihi spectandae obtulerunt; talesque notavi,
Illarum partes, quales ex ordine vidi.
Diligite, est omnis primi sententia picti,
Justitiam: qui dirigitis terram, inde secundi.
Quinti in litterulam verbi dehinc ordine summam
Convenere; adeo ut visus sit Iuppiter auro
Distinctum argentum. Luces descendere vidi
Mox alias, ac litterulae se vertice summo
Sistere in ejusdem, cantantes, arbitror, illud
Quod trahit usque Bonum, ac flamma sibi perpete jungit.
Non secus ac torrum conflictu hinc inde favillae
Protinus innumerae exiliunt, unde omina vulgus
Ferre solet; sic plusquam mille exurgere Luces
Sunt iterum visae, plus haec, minus illa, secundum
Æterni arbitrium Solis, qui incendit amore.
Postquam quaeque sua requievit sede, caputque
Ac collum Reginae avium has componere vidi.

(Hic opifex pingens, non indiget ille regente,
At cuncta ipse regit: virtusque est omnis ab ipso,
Quae variis hic cuncta modis et sedibus aptat.)
Litterulae hinc aliae, steterunt quae in vertice Luces,
Contentae hic visae in morem considere lilî,
Effigiem parvo motu implevere volucris.
O quot, justitiam nostram procedere Caelo,
Sidus dulce, tuo, gemmae mihi nosse dederunt!
Quare ipse obtestor mentem, ex qua manat origo
Virtutis motusque tui, ut sua lumina vertat
Illuc, unde oritur fumus, qui nobilis astri
Infectat radios; rursusque insurgat in iras
Adversus, qui nunc sancta mercantur in aede,
Structa jam tot prodigiis et sanguine tanto.
Militia o Coeli, quam ego nunc contemplor, adora
Pro tot, qui prava in terris exempla sequentes
Tramite declinant recto. Bellum ante solebat
Ense palam fieri; sed nunc fit pane negato, (8)
Aut his, aut illis, quem dat Pater omnibus aeque.
Ac tu, qui figis leges, ut deinde refigas,
Vivere adhuc Coelo Petrum Paulumque memento,
Quorum (proh facinus!) datur a te vinea pessum.
Ipse autem dicis: sum illius captus amore (9)
Qui solus vitam sylvis traduxit in aspris,
Et propter choreas leto est multatus iniquo,
Nullaque me Petri ac Pauli reverentia tangit.
XIX. Ante oculos formosa meos parebat imago,
Expansis alis, diva quae luce beabat
Insertas Animas: radianti quaeque pyropo
Ardebat similis, qui tam sub Sole niteret,
In mea ut ex illo resiliret lumina fulgor.
Quod sum dicturus, nec scripto aut vocibus unquam
Quis retulit, nec cujusquam mens fervida finxit.
Vidi ego et audivi humanas emittere rostrum

Voces; cumque essent plures ea verba cientes,
Vox tamen insonuit numero prolata minori;
Atque haec fata est: Justitiae ac pietatis amatrix
Cum fuerim, in decus huc veni, quod nulla cupido
Exuperare potest: nomen memorabile terris
Liqui; ipsique, sequi dum clara exempla recusant,
Multa mihi laudum tribuunt praeconia sontes.
Unus ut exoritur multis ex ignibus ardor,
Multorum sic Spirituum vox una sonabat
Illa ex effigie: cui sum dein talia fatus.
O flores, decus aeterni immortale vireti,
Qui mihi in uno omnes vestros afflatis odores,
Solvite, spirantes, quaeso, quae ex tempore longo
Me torquet collecta fames; reperire nequivi
Namque cibum terris. Scio, quod, si cernere divam
Iustitiam in Caelis alius praeponitur Ordo, (10)
Hanc vester nullo tectam velamine cernit.
Scitis, me voces vestras audire paratum,
Et dubium scitis, quo sum tot vinctus ab annis. —
Ut caput accipiter dempto sublime galero
Erigit extemplo, atque alis sibi plaudit apertis,
Ostendens sese cupidum formaque venustum;
Gratiae ita intextum divinae laudibus, illud (11)
Tum fieri signum vidi, et sic edere dulcem
Cantum, qualem unus novit. qui gaudet ibidem.
Mox ait: Is, qui ad mundi oras obvertit amussim,
Totque intus posuit manifesta occultaque rerum,
Non adeo ille suam virtutem expromere ibidem
Evaluit, ne immense ejusdem in mente maneret.
Hoc patet ex illo, quem caeca superbia primum
Vicit: cum ante omnes excellentissimus esset,
Quod lucem haud mansit, misere est prolapsus acerbus.
Inde liquet porro, natura quaque minori
Comprendi non posse Bonum, quod, finibus expers

Omnibus, haudquaquam, nisi se metatur ab ipso.
Cum mens nostra igitur radius sit oporteat unus
Illius mentis, cujus sunt omnia plena,
Natura non ipsa sua cognoscere pollet
Sit qualis quantusque Deus. Sic Numinis alti
Justitiam mortalis conspicit, ut mare magnum;
Cujus quantumvis videat de littore fundum,
Non videt in pelago; negat alveus quippe profundus.
Non est lux equidem, nisi sit deducta sereno,
Quod non turbatur: non est lux, immo tenebrae,
Carnis nempe umbra, atque suum exitiale venenum.
His de justitia dubium, quod mente gerebas,
Quodque tibi solvi optabas, reor esse solutum.
Ajebas etenim: ad ripas quis nascitur Indi,
Nemo ubi de Christo loquitur, nec tradita chartis
Nec dictis lex ulla patet: morum integer ille
Vivit, quantum humanae dat prudentia mentis:
Absque Fide ac sancti moritur Baptismatis expers;
Justitia est ubinam, Stygios quae hunc damnat ad ignes?
Culpa ubinam, si quod latuit, non credidit ille?
At tu quisnam es, qui vis alta in sede sedere,
Judicium ut promas de rebus mille remotis
Millia, luminibus nec palmum anteuntibus unnm?
Illi equidem, quicumque animo haec expendet acuto,
Addubitandum esset, nisi sacra volumina vobis
Desuper instarent. O terrae animalia, mentes
Obductae tenebris! Quae per se prima voluntas
Est bona, in immensum bona, nunquam a se ipsa racedit.
Id solum omnino est justum, quod consonat illi:
Nullo haec attrahitur bono, at ipsa hoc lumine gignit. –
Ut nidum supra, simul atque ciconia pullos
Nutriit implumes, circum se vertit, et illam
Qui sunt jam pasti, erecta cervice tuentur;
Talis et effigies fuit, atque ego lumina talis

Erexi. Tot Spiritibus compulsa, movebat
Illa alas; circumque rotans, hac voce canebat:
Ut meus est tibi, qui nescis deprendere, cantus,
Divum ita consilium humanae impenetrabile menti, est.
His dictis, mansere parum illa incendia sancti (12)
Flaminis in signo, quod Romae subdidit orbem;
Idque iterum coepit: Non ullo tempore regna,
Qui non crediderit Christo, caelestia venit,
Aut prius, aut postquam letum est perpessus iniquum.
At Christum Christum conclamant nomine multi,
Qui, cum judicium advenient, longiuquius illis
Abstabunt Christo, qui nunquam existere norunt.
Christiadas hos damnabit niger accola Nili
In coetus mundum Iudex cum dividet ambos,
Alter ut aeternum locuples, sit et alter egenus.
Quid poterunt Persae in vestros tum dicere reges,
Illorum cum cuncta tenens delicta volumen
Aspicient? Hic Alberti inter cetera factum (13)
Quod cito perscribet calamus, cernetur iniquum,
Unde involvet regnum clades horrida Pragae.
Hic luctus cernetur item, quo Gallica regna
Afficit, argentum vitians, qui saucius apri (14)
Dente cadet. Cernetur item, quae extendere regni
Impellit fines insana superbia reges (15)
Anglumque ac Scotum. Regis cernetur Iberi
Luxuries, ac regis vita ignava Boemi, (16)
Cui nunquam optata est virtus, et cognita nunquam.
Rectoris Solymae, signata videbitur una (17)
Hic bonitas, multasque ostendet pagina noxas.
Clarebit pariter Siculis regnantis in oris, (18)
Quo Pater Anchises aevo consumptus obivit,
Turpis avarities: atque, ut quam vilis et excors
Is pateat, truncis scribentur crimina signis,
Quae permulta dabunt spatio cognoscere parvo.

Et patrui et fratris pariter commissa patebunt,
Gens quibus egregia, ac gemina est turpata corona.
Hic, cui Norvegia, et cui Lusitania paret,
Cernere erit: quique Illyrica dominatur in urbe,
Atque typo Venetum male cusa numismata signat.
Pannonia o felix, regis si fraena superbi
Excutias! o felix Cantaber, alta Pyrene ,
Si te nimbiferae vasto teget aggere rupis!
Hoc cuivis dat Nicosia et Famagusta videre,
Quas sua plorare et contendere Bestia cogit, (19)
Non his absimilis, vitiis nec turpibus impar.
XX. Cum, qui terrarum tractus illuminat omnes,
Deficiente die, nostris discedit ab oris,
Quod solo illius splendebat lumine, Caelum
Lucibus ornatur multis; quibus una refulget. (20)
Haec mihi tunc animo Caeli succurrit imago,
Cum mundi illiusque ducum venerabile signum
Conticuit: siquidem Luces fulgoribus illae
Continuo micuere novis, cantumque dedere,
Quem mea nunc frustra mens aegra referre laborat.
Dulcis Amor, qui te ridenti lumine velas,
Oh quantum es tibis tunc his ardescere visus, (21)
Queis tantum sanctae spirabant flamina curae!
Postquam illae angelicum cantum carae atque micantes
Desierunt gemmae, quas sanctum ornare videbam
Sidus, continuo murmur mihi venit ad aures,
Non secus ac fluvii; qui, vertice montis ab alto
Praecipitans, sese clarus per confraga volvit,
Testatus quanto descendat ab ubere venae.
Utque sonus citharae normam ex cervice capessit,
Eque foraminibus, quo inflatur fistula, ventus;
Haud aliter volucris per collum protinus illud
Ascendit murmur, non secius atque foratum
Hoc esset. Vox hic est factum; emissaque rostro

Dicta dedit, nostrae ad formam modulata loquelae,
Qualia cor meum, ubi a me sunt consciripta, manebat:
Partem, mortales aquilae qua cernere Solem
Ac perferre solent, in me nunc inspice, dixit;
Quippe inter Luces, ex queis mea constat imago,
Hae reliquis praestant, oculus meus unde refulget.
Ille orbe in medio rutilans, quasi pupula, sancti
Pneumatis est cantor, sanctam qui transtulit Arcam:
Nunc cantus novit pretium, ex mescede relata
Nempe pari, in quantum fuerit cantare voluntas.
Ex his quinque, supercilium condentibus, ille
Proximior rostro, moerentem est funere nati (22)
Solatus viduam: nunc novit Numina quantum
Vana sequi noceat, Christique absistere lege,
Hanc dulcem expertus vitam, oppositamque dolentem.
Quique exinde oculi sequitur vicinus in arcu,
Est hic Ezechias, fixae qui tempora mortis
Produxit, vere detestans crimina vitae:
Nunc divina videt quod non sententia sese
Immutat, quamvis hodierna in crastina vertant
Rite preces fusae. Sequitur qui proximus illi,
Bizanti ad littus, cum legibus, urbe relicta
Romulea, is venit mecum, ut sibi summus haberet
Pastor in hac sedem: bona mens mala multa creavit.
Nunc sibi non nocuisse malum, quod prodiit actis
Ipsius inde bonis, discit; licet omnis ab illis
Mundus perniciem patitur. Quem cernis in arcu
Declivis cilii, est Guilelmus, terra peremptum
Quem deflet, Carolum et Fridericum vivere plorans: (23)
Nunc videt, aspectu regis jus fasque colentis
Quam gaudet Celum; atque hoc ipso lumine pandit.
Quis terris credat cilii curvamine in isto
Lucibus ex sanctis Riphaeum splendescere quintam (24)
Dardanidem? Divina viro nunc gratia multum

Inspicitur, plusquam liceat cognoscere mundo,
Immensum quamvis nequeat contiugere fundum.
Qualis in aetherios tractus se tollit alauda,
Dulce melos geminans, ac mox contenta quiescit,
Tanquam supremae vocis dulcedine plena;
Talis visa mihi est placiti omnipotentis imago, (25)
Ad cujus lubitum sunt omnia, qualia constant.
Quamvis ipse meum, ut pellucida vitra colorem,
Celarem dubium, non sum tamen ore silere
Ulterius passus; nam me illud pondere toto
Impulit effari: proh quae sunt talia! dixi;
Magnaque continuo splendescere gaudia vidi.
Accenso magis inde oculo, veneranda volueris,
Ancipiti me suspensum ne mente teneret,
Respondit: Quoniam haec dico, te credere cerno;
Quomodo sed nescis: quare non cognita credis,
Non secus ac vir, qui novit rem nomine, verum
Naturam ignorat, nisi quis detexerit illi.
Vivaque spes et caldus amor violenter Olympum
Aggrediuntur; et his cedit divina voluntas:
Non de more hominum; sed vincitur illa, quod optat
Vincier, et bonitate sua devicta triumphat.
Trajanum et Ripheum miraris fulgere Coelo;
At non corporibus hi Numina vana colentes
Exierunt, at Christiadae; nam credidit alter
Passurum, passumque alter jam funera Christum.
Ille ex inferno, quo nunquam prava voluntas
Exuitur, rursus terrena in membra redivit;
Vivaque spes hoc obtinuit, quae vota precesque
Erexit Coelo, foret ut commota voluntas,
Atque potens fieret remeandi in luminis auras.
Spiritus hinc carnem, breviter qua vixit, adeptus,
Sese illi addixit, poterat qui ferre juvamen;
Tantoque est incensus amore, ut scandere dignus

Dehinc fuerit nostras iterato funere sedes,
Munere, mananti tantum de fonte profundo
Ut nemo ad primam visu pervenerit undam.
Ripheus justitiae fuit inflammatus amore,
Propterea que Deus Fidei mysteria nostrae
Huic praescire dedit: quapropter credidit illam,
Noluit et cultu paedorem ferre profani,
Increpitans gentes colerent quod Numina vana:
Quae tibi sunt visae currus adsistere destrae,
Tres Nymphae gessere vices Baptismatis illi,
Plus mille ante annos quam mos Baptismatis esset.
Oh quantum ex oculis, queis prima haud tota videtur
Causa. procul distat, quod de cujusque futura
Fixerit Omnipotens vita! Ne prompseris audax
Judicium, mortale genus; nos quippe, tuentes
Ora Dei, nos electos non novimus omnes.
Hoc autem ignorare juvat; nam nostra voluptas
Tota est, illud velle, quod est divina voluntas.
Sic, brevem ut illa mihi visum clararet imago,
Pharmaca tum dedit: ac, veluti citharista canentis
Prosequitur vocem tali modulamine chordae,
Unde sibi sumit magis oblectamina cantus;
Sic geminas Luces, aquila dicente, movere
Dictis concordes flammas vidisse recordor,
Ex geminis oculis ut fit concorditer ictus.
XXI. Omnibus ex aliis rebus mentemque oculosque
Abstuleram, atque Beatricis defixus in ore
Rursus inhaerebam totus. Risu illa carebat;
Ac mihi: si me ridentem conspexeris, inquit,
Sic fieres, qualis Semele, cum fulmine tacta
In tenues cineres abiit: mea namque venustas
Cum magis accrescat, quanto magis itur in altum
Ætheriae sedis, nisi temperet illa nitorem,
Non tibi mortali hunc esset perferre potestas;

Atque ita concideres, percussae ut fulgure frondes.
Altius evectos, cepit nos septimus orbis,
Qui nunc Nemei positus sub pectore signi,
Virtute huic mixta terrestrem temperat orbem.
Verte memor mentem quo se tua lunina tendunt,
Imprime et his formas, quas hoc in sidere cernes. -
Si quisquam sciret, quam pascerer ore beato,
Cum sum aliam ad curam versus, cognosceret idem
Qnam mihi dulce fuit Dominae parere jubenti,
Utramque expendens aequato examine partem.
Cristallo in nitido, regis quod nomine fertur,
Circumiens mundum, sub quo scelus abfuit omne,
Scalam lucenti ex auro se attollere sursum
Vidi adeo, ut summum nequii deprendere finem;
Perque gradus tot conspexi descendere Luces,
Omnia ut hic Coeli diffundi lumina rerer.
Cornices veluti, nativo more, moventur
Mane simul, refoventque rigentes frigore plumas;
Mox aliae abscedunt, nec deinde revertere curant;
Sese aliae unde abiere, ferunt; aliaeque rotantes
Circumeunt: sic motus erat Splendoribus illis,
Dum certum venere locum. Tunc ille propinquus
Qui magis adstiterat, clara tam luce refulsit,
Ut penitus norim quanto flagraret amore.
Ast ea, quae normam mihi dat tempusque loquendi,
Non ullum edebat nutum; quare ipse, profari
Quantunvis valde cupidus, tamen ore silebam.
Illa meum placitum in prospectu cuncta videntis
Aspiciens: agesis, inquit, jam fare, quod optas.
Tunc ego: Non mea te virtus praebere meretur,
Quod peto, responsum; sed deprecor ipse per illam,
Quae me scitari sinit: o mihi, Spiritus alme,
Laetitia cooperte tua, da noscere quaeso
Cur mihi tam prope ades; cur hoc concentus in orbe

Ille silet, qui tam in reliquis pius insonat infra. -
Ut visus, tibi mortales sunt scilicet aures,
Ille refert: ob quam causam jam diva Beatrix
Non risit, non hic canitur. Sum praepete gressu
Huc delapsus, ut eloquio, quaque induor, alma
Luce tibi plaudam. Nec major me impulit ardor;
Major enim tantusque est sursum, ut luce patescit.
Ast Amor aeternus, qui nos facit esse ministros
Consilii, quo cuncta regit, dat munere fungi
Quod velit, ut multis potis es deprendere signis.
Novi equidem quod liber amor vos Numinis, inqui,
Impellit mandeta sequi; sed noscere valde
Est mihi difficile, ob quam ex tot consortibus unus
Tu fueris causam munus delectus ad istud.
Nondum haec finieram, cum Lux, versatilis instar
Illa rotae, in gyrum se vertit; et, abditus illic,
Spiritus est sic effatus: Immissa per istam,
Qua tegor, incumbit mihi lux divina; meoque
Associans visu, tantum me attollit in altum,
Ut Deus omnipotens, a quo venit illa, patescat:
Hinc ea laetitia, ex qua me splendescere cernis;
Nam, divina mihi quo clarius ora videntur,
Clarior est itidem, qui me tegit undique, fulgor.
Nemo et Caelituum, nec qui propiore fruuntur
Numinis intuitu, potis est explere rogatum,
Crede, tuum: quod scire petis, nimis additur alta
Mente Dei, nullique patet penetrabile menti.
Cum terras igitur redeas, mortale memento
Admonuisse genus, ne ausit se attollere tantum,
Talia disquirens, curaque absistat inani:
Dat fumum in terris, quae mens hic clara refulget:
Quomodo id ergo queat, nequeunt quod et astra colentes?
Haec mihi praecepit: nihil ausus sum hiscere contra;
Atque humilis tantum submissa voce rogavi,

Quis foret. — Italiae bina inter littora, dixit,
Haud multum tua ab urbe procul, tam vertice surgunt
Montes, ut valde tonitru demurmeret infra.
Dorsum illic immane tumet, cui Catria nomen;
Quod subter, devota deo, domus est in eremo.
(Tertio sic fari incepit dixitque secutus)
Hic Domino sic me devinxi, ut frigora et aestus
Transigerem, comedens escam dumtaxat olivo
Inspersam leviter, contentus volvere mente
Caelestes curas, animique quiete beari,
Fertilis his Caelis aedes tunc illa vigebat;
Nunc autem est vacua: at confestim proinde patebit. (26)
Hic Petrus ipse fui Damianus nomine; et idem
Petrus peccator divinae Matris in aede (27)
Littus ad adriacum. Non multum vita superstes
Jam mortalis erat, rubri cum deinde galeri,
Qui semper fit deterior, sum adductus honori.
Jam Petrus et Paulus macri venere, pedesque
Tegminibus nudi, huc illuc alimenta petentes:
Nunc hinc atque hinc Pastores fulcimina quaerunt,
Qui ducant, qui pone levent; (adeo usque gravantur!)
Cornipedesque tegunt equitantes vestibus amplis,
Bestia uti duplex videantur veste sub una.
Oh ingens, quae tanta potes, patientia, ferre!
Talibus his dictis multas descendere Luces
Per scalam vidi, ac festivos edere gyros,
Ut gyrum ad quemvis fierent magis usque decorae.
Dehinc fanti circum adstiterunt, tantoque fragore
Extulerunt vocem, ut nihil hic aequaverit unquam;
Nec verba audivi: tam me sonus impulit ingens!

XXII. Attonitus valde, Comiti sum versus, ut infans
Se trepidum vertit, sibi quo fiducia major.
Illaque, uti mater, quae protinus anxia nato
Succurrit, dictisque regens solatur anhelum:

Nescis te esse in Coelis? nescis omnia, dixit,
Hic sancta? et cuncta ex sancto procedere amore?
Quomodo te visus mutasset, quomodo cantus,
Jam nunc scire potes, cum adeo sis murmure motus.
In quo si voces exceperis aure precantes,
Nota tibi vindicta foret, quam deinde videbis,
Ante diem quam summum obeas. Non caelicus ensis
Amputat aut tarde ant propere, nisi mente manentis (28)
Hunc pavide aut cupide. Ast alio jam lumina verte;
Quippe Animas multas, si verteris, inde videbis.
Non secus ac jussus feci, entumque micantes
Conspexi glogulos, qui se per mutua junctis
Ornabant radiis. Haerebam fixus, ut ille
Qui pavidus tacito condit sub pectore vota,
Pandere non ausus, nimium nam poscere credit.
Tunc, qui prae reliquis erat et magis amplus et ardens,
Accessit, cupidusque meis occurrere votis:
Si tibi nota foret, dixit, studiosa voluntas
Quae nos incendit, jam nunc deprompseris ultro
Quae sub corde premis. Sed, ne mora forte retardet
Tangere, quo pergis, finem, his, quae poscere parcis,
Responsum reddam. Montis, cui moenia dorso
Cassinum tollit, culmen decepta petebat
Pravaque gens morum. Huc primus venerabile nomen
Illius ipse tuli, terrae qui vexit in oras
Verum, quod mentes adeo in sublimia tollit;
Atque hinc tanta meis adrisit gratia coeptis,
Impio ut a cultu, mundum qui invaserat omnem,
Protinus evalui populos revocare propinquos.
Hi reliqui et globuli, mortales ante fuerunt
Contemplatores, illoque ardore calentes,
Unde venit sanctis pomisque ac floribus ortus.
Hic est Macarius, nec non Romualdus, et illa
Fratrum lecta cohors, sua quae vestigia claustris

Fixit, propositique tenax, immotaque corde.
Haec ait: atque ego contra: Ex quo mihi faris amore
Ac bono ab aspectu, quem cerno in Lucibus istis,
Usque adeo laxata mihi est fiducia, quantum
Flos a Sole rosae, totum cum pandit ad auras
Purpureum calathum. Quare, si gratia possit
Tanta venire mihi, quaeso, pater optime, luce
Qua loqueris pulsa, propriam da cernere formam.
Hoc tibi tunc dabitur, mihi rettulit ille vicissim,
Supremum, frater, quando perveneris orbem,
Inveniunt ubi vota suam cujusque quietem.
Integra, matura, ac perfecta ibi quaeque cupido est.
Semper ubi fuerat, pars est hoc omnis in uno;
Nullo est namque loco, nullique innititur axi.
Nostra hanc in sedem sese scala ardua tollit,
Propltereaque nequis illius cernere finem.
Usque huc Angelicis per somnum vidit Jacob
Spiritibus plenam. Sed nunc ascendere celsos
Remo gradus curat: sunt nunc dispendia chartae,
Quae vitae praecepta dedi; spelaeaque facta
Sunt nunc caenobia, et vitiati quisque cucullus
Fusfuris est saccus. Nullum Deus odit iniquum
Tam foenus, quam qui monachorum pectora fructus
Insanire facit. Quodcumque Ecclesia parcit,
Cedere eis debet, Christi qui nomine poscunt,
Sanguine nec junctis, nec deterioribus ullis.
Est caro blanda nimis; bona nec primordia terris
Sufficiunt, veluti quercus non sufficit ortus
Edendam ad glandem. Coepit sine pondere Petrus
Argenti atque auri; atque ego per jejunia tantum
Perque preces posui, atque humilis Franciscus asylum.
Si tu principium spectes, et quo iverit inde,
Ex albo aspicies nigrum: at mirabile versus
Jordanis minus est retro, fugitivaque ponti

Unda, volente Deo, quam nunc hic ferre medelam.
Talia sic fatus, sociis se adjunxit, et una,
Turbinis assimilis, confestim ascendit in altum.
Innuit, atque uno mulier dulcissima nutu
Per scalam extemplo post illos impulit ire:
Tam mea virtute illius natura revicta est!
Non hic perque imas valles montesque per altos
Est adeo rapidus cursus, mihi quantus eunti
Tum fuit. Astriferas sic rursum ascendere sedes
Evaleam, lector, pro quo mea crimina ploro,
Pectoraque illacrymans pulso: non tempore tanto
Admoris digitum, tactoque retraxeris igne,
Quo tunc Ledeum vidi ac sum ingressus in astrum. —
Illustres ignes, magna virtute potentes,
A quibus ingenium totum mihi, quodlibet hoc est,
Esse reor: vobiscum erat is, qui temperat omnes
Mortales vitas, cum Thuscas sum ortus in auras;
Cumque mihi posthac ascendere contigit orbem,
Qui vos circumagit, regio mihi dedita vestra est.
Vos supplex oro; toto vos pectore poseo
Virtutem tantam, qua summum attingere punctum
Evaleam tandem, quod me nunc attrahit ultro. —
Numinis aspectus. dixit mihi Diva, propinquat;
Est opus ergo tibi visus sit clarus et acer.
Ante ideo, quam ultra venias, spatia ampla viarum
Mensa vide, et quotus est tua sub vestigia mundus;
Ut tua, laetitia exultans, mens se offerat ultro
Deinde triumphanti, venienti ex aethere, turbae.
Tunc ego sum septem, demissa fronte, remensus
Transgressos orbes; terramque ita corpore parvam
Aspiciens risi: atque ideo laudabile duco
Consilium quod eam temnit, rectique vocari
Posse probum, qui alias volvit sub pectore curas.
Est mihi visa, carens maculis, Latonia Virgo,

Corpore quas fieri denso raroque putavi.
Sustinui ardentem nati ex Hyperione vultum,
Ac prope Mercurium ac Venerem se volvere vidi.
Deinde mihi natum patremque apparuit inter (29)
Temperies Jovis; et varios quae causa recursus
Efficiat, novi. Septem haec errantia signa
Vidi equidem, qua sese mole. graduque citato,
Circumagunt, quantoque simul discrimine distant.
Denique, Ledeo rapimur dum sidere circum,
Areola haec, tanto dat nos quae insurgere fastu,
Tota mihi est visa, ad pelagi usque ex collibus undas;
Deinde oculos pulcris converti rursus ocellis.

XXIII. Inter uti frondes, sera sub nocte, volucris
Sistit apud nidum, partemque tuetur Eoam,
Auroram intente expectans, ut mane revisat
Pullos, ac (dulcis labor,) illis comparet escam;
Haud aliter Coelo haerebat defixa Beatrix,
Versa plagae, sub qua Sol segnius ire videtur.
Ore renidentem cerneus atque aethere summo
Intentam, velut ille fui, quem magna cupido
Incitat, ac spes interea dat blanda quiesse.
Non mora sed longa hinc fuit inter tempus utrumque;
Inter et expectandum scilicet atque videndum
Praeterea, magis atque magis clarescere Coelnm.
Ac dixit tum Diva mihi: Christi ecce triunphi
Agmina, et omne bonum, quod ab his est orbibus ortum.
Qualis erat! toto visa est ardescere vultu,
Atque adeo ex plenis jucundam ostendere ocellis
Laetitiam, ut nullis ausim describere verbis.
Qualis per liquidam noctem, pleno ore relucens,
Æternas inter Nymphas Latonia ridet,
Quae variis late depingunt aethera signis;
Sic super innumeras Luces effulgere Solem
Tum vidi, has proprio lustrantem lumine cunctas,

Non secus ac noster splendorem sufficit astris;
Inque meos oculos Substantia clara meabat,
Lumine translucens medio, ut perferre nequirent.
O mea dux dulcis, mea dux dilecta, Beatrix!
Illa mihi actutum: quae te nunc opprimit, inquit,
Est virtus, a qua nemo defenditur ullus:
Hic est summa potestas, et sapientia summa,
Quae, inter terram Coeliquc impenetrabile regnum,
Pandit iter, cujus fuit olim longa cupido. –
Ignis ut interdum, fuerit cum taliter auctus
Amplius includi ut nequeat, vi nubila rumpit,
Telluremque petit, quamvis natura repugnet;
Sic mea deliciis tunc mens caelestibus aucta,
Exiit ex sese, nescitqrte quid ipsa peregit.
Pande oculos, et qualis ego sum facta videto,
Diva mihi dixit: tibi sunt jam talia visa,
Ut risus perferre meos et gaudia possis.
Talis eram, qualis qui lapsa insomnia quaerit
Evigilans revocare animo; frustraque laborat,
Oblitum nitens sub mente revolvere visum,
Talia cum verba audivi, sic dulcia cordi,
Ut nunquam ex libro, qui anteacta recenset, abibunt.
Si mihi, Castaliae quot nutrivere sorores,
Auxilio adstarent linguae, vix reddere paulum
Carmine visusque ac vultus miracula possent:
Divinum proinde aggressus describere regnum,
Multa opus est mihi transmittam, velut ille viator,
Abruptum qui invenit iter. Sed, pendere quisquis
Sumpserit, inceptum quanti sit ponderis istud,
Quantaque debilitas humeris mortalibus, ille
Haud equidem, si forte videt trepidare, reprendet:
Non est hoc pelagus, puppis quod parvula tranet,
Non opus hoc nautae, sibimet qui parcere curet.
Cur mea te facies, dixit tum diva Beatrix,

Tam sibi devincit? cur non spectare viretum
Intendis pulcrum, Christi sub lumine florens?
Hic rosa, divinum unde sibi mortalia membra
Induxit Verbum; sunt hic et lilia, quorum
Suavis odor recto pertraxit tramite gentes.
Dixit; et ipse, suis monitis parere paratus
Semper, rursum oculos radiis contendere misi.
Luce velut Solis, scissa de nube meantis,
Floriferum pratum, quondam speculatus ab umbra,
Inspersum aspexi; sic tunc ex lumine multas
Desuper injecto turmas effulgere vidi;
Quin mihi principium fas cernere luminis esset.
O quae hos illustras, virtus bis terque benigna,
Te sursum abduxti, ut radios mihi ferre minores
Posse dares, oculis adhibens moderamina lucis!
Illius floris, quem mane ac vespere supplex
Rite voco, auditum nomen, me protinus egit
Toto animo illius majorem cernere lucem.
Cumque mihi est visa, atque meis pulcherrima utrisque,
Quantaque qualisque est, oculis ea stella refulsit,
Quae vincit superis, ut terrae vicit in oris,
Fulgida lux Coelo est lapsa, instar flexa coronae,
Praecinxitque illam, ac se circunfusa rotavit.
Harmoniae quodumque genus magis allicit aures,
Ac magis hic animum mulcet, disrupta fuisset
Ut nubes tonitru, citharae si aequaveris illi,
Quae gemmam cinxit, Coelum unde nitentius ardet.
Angelicus sum, dixit, amor, qui maxima pando
Gaudia circumiens, nobis quae virgine ab alvo
Proveniunt, ubi nostra fuit concepta cupido;
Atque ita circumeam, donec natum ipsa sequeris;
Ac, Regina, tuo magis ore effulgere summum
Efficies orbem. Sic lux ait illa rotando;
Atque aliae Mariam sonuerunt uniter omnes.

Quod reliquos cunctos Coelum complectitur orbes,
Numinis afflatu magis ac virtute vigescens,
Tam nobis distabat adhuc, ne hoc cernere possem;
Atque ideo nequiere sequi mea lumina flammam
Praecinctam serto; quae sese erexit in altum,
Natum pone sequens. Qualis, cum suxerit uber,
Vertitur ad matrem puer, et lactentia tendit
Brachiola, extantem vultu testatus amorem;
Vertice sic quaeque erecto se ex Lucibus illis
Extulit, ac Mariam quo prosequerentur amore
Est mihi compertum. Mox illic quaeque remansit,
Sic *Coeli Regina* canens, ut dia voluptas
Me totum imbuerit, nec pectore cesserit unquam.
Quanta his divitibus messis servatur in arcis,
Quae fuerunt terris gnavae sevisse bubulcae!
Hic vivit, fruiturque bonis. quae quisque paravit
Exul et illacymans, auro Babylone relicto;
Hic clarum, sub Prole Dei Mariaeque, triunphum
Cum vetere atque novo Sanctorum examine, ducit
Ille, cui est Coeli custodia credita portae.
XXIV. O animae electae, coenae quae accumbitis Agni,
Tali vescentes dape, quae vos jugiter explet,
Si prius hic mortis quam dedant tempora, vestris
Quod cadit ex mensis, divino munere, paulum
Praelibat, mentes immenso intendite quaeso
Illius ardori, atque sitim irrorate parumper:
Vos semper fontem hauritis, quo tendere totis
Hic inhiat votis. Sic est effata Beatrix;
Assimilesque rotis, laetae se vertere circum
Coepere illae Animae, flammantes more cometae.
Machinulae veluti, quae tempora digerit, orbes
Sese ita convolvunt, ut, siquis viderit illos,
Alter vix agitur, velociter evolat alter;
Sic choreas Animae ducebant dispare motu;

Motuque ex ipso, aut citior vel tardior esset,
Esse his laetitiae majusque minusque patebat.
Tum chorea ex una, reliquis quae pulcrior ibat,
Ignis quidam exit, quo nullus clarior usquam;
Atque, Beatricem triplici vertigine lustrans,
Talem edit cantum, mihi mens quem reddere nescit:
Propterea sileam, nimium nam vividus istis (30).
Sunt sinibus color, humana et mens atque loquela.
Deinde Beatrici, sistens, sic ille profatus
Est ignis: Dilecta soror, quae talia fundis
Vota precesque pias, ut amico evellar ab orbe,
Ecce adsum, ardentique tuo sum promptus amori.
O lux clara viri, illa refert, cui tradidit olim
Noster Herus claves, quas hac de sede beata
Is tulit in terras, prout est tibi corde voluntas,
Hunc scitare, oro, ac Fidei argumenta require,
Qua super aequoreas ivisti interritus undas;
Non te equidem latet an bene credat speret ametque,
Cum visum intendas, quo sunt cuncta ordine picta;
At, quoniam regno cives adsciverit isti
Vera Fides, est proinde bonum ut de hac ille loquatur
Ejusdem in laudes. Veluti sese instruit atque
Discipulus silet, ante suus quam lemma magister
Proponat, non ut solvat, verum approbet illud;
Sic ego me armabam, responsum rite daturus.
Dic, bone Christiada, est ille orsus, et intima pande:
Quid sit fare Fides. Dicenti talia frontem
Extuli, et inde meae converti lumina Divae:
Illaque continuo mihi nutu indulsit, ut undam
Interno ex fonte elicerem. Sum proinde locutus:
Gratia, quae me dat primo mea sensa Magistro
Pandere, concinnis eadem det promere verbis:
Vera Fides, dixi inde sequens, ut tradidit olim
Ille tuus frater, qui tecum tramite recto

Ire dedit Romanam urbem, substantía rerum
Est quae sperantur, rerumque est argumentum
Quae cerni nequeunt: talem certe arbitror esse.
Rite putas, retulit, si cur substantia dicta est
Atque argumentum noscas. Quae sedibus istis,
Dixi ego respondens, manifesta in luce videntur,
Sunt adeo in terris oculis abscondita, ut una
Hisce det esse Fides; cujus fulcimine nixa
Erigitur Spes; atque ideo substantia fertur:
Ex qua deinde Fide, abque alia ratione, struendum (31)
Est ratiocinium: ex quo dicitur argumentum.
Tunc ille est fatus: quidquid doctrina revelat
In terris, tam clare hominnm si quisque teneret,
Artibus haud esset locus ingeniisque sophistae.
Sic Amor ille inquit, farique est inde secutus:
Ponderis atque notae, veluti decet esse, numisma
Hoc satis est visum; vere hoc tua continet arca?
Certe equidem, retuli, tam clarum tamque rotundum,
Ut typo in illius mihi nil dubitare supersit.
Haec tam gemma nitens, cui virtus nititur omnis,
Is rursum, unde tibi venit? Qui plurimus imber
Flaminis aeterni divina volumina large
Irrigat, hanc, dixi, mihi tam monstravit aperte,
Ut comperta minus det signa geometra nosse.
Quomodo sed noscis, retulit, quae tradita sanctis
Sunt tabulis, divino afflatu scripta fuisse?
Sunt rerum eventus testes, quibus arte creandis
Omnino Natura caret. Tunc ille vicissim:
Hos tamen eventus, qui debent ante probari,
Quisnam te certum facit indubiumque, fuisse?
Nemo tibi hoc jurat. Christi si jura secutus
Est sine prodigiis mundus, devictaque cessit
Caeca superstitio, longe super omnia majus,
Dixi, est prodigim. Nam tu, jejunus, et omni

Indigus auxilio, es fidens ingressus in agrum.
Felicem ut sereres plantam, quae uberrima vitis
Jam fuit; at nunc dumum degeneravit in asprum.
Haec ubi sum fatus, cunctos vox una per orbes
Insonuit: sint cuncta Deo per saecula laudes.
Tum Vir jam me scitatus, sic singula quaerens,
Ut foret estremas jam nunc accedere frondes,
Fari iterum coepit: Dominatrix Gratia mentis
Hactenus ora libi pandit, quo rite decebat;
Quare ego cuncta probo: sed nunc te promere oportet,
Et quae credis, et unde venit quod talia credas.
Spiritus alme, Pater, qui claro in lumine cernis,
Dixi ego, quod sic credideras, ut quamlibet aevo
Grandior, ad tumulum juvenem superaris eundo,
Tu formam Fidei, causamque hujusce requiris;
Atque ego sic tibi nunc refero: Mihi creditus unus
Æternusque Deus, Coelos qui immobilis omnes
Ipse movet, desiderio atque ipsius amore.
Nec Metaphysicae, Physicaeque scientia tantum
Hoc mihi perspicue ostendit; sed lumine ab ipso
Hinc veniente, patet; sanctorum nempe vetustis
Ex Vatum tabulis, et quas scripsistis, ut ardens
Spiritus etheriis in vos est lapsus ab oris.
Creditur et persona triplex, substantiaque in illis
Una, adeo ut *sumus* et pariter *sum* dicere possit.
Haec Ævangelium mihi dat persaepe videnda.
Hoc est principium, credendi est ista favilla,
Quae fit deinde meo vivax in pectore flamma,
Effunditque jubar, clarum velut aethere sidus.
Qualis herus famulum, cum nuntia laeta ferentem
Audit, ut is siluit, cupidis amplectitur ulnis;
Sic, bene me dicens cantu, ter circuit illud
Lumen apostolicum, quo praecipiente locutus
Ante fui: tam grata illi mea dicta fuerunt!

DANTIS ALIGHERII

DIVINAE COMOEDIAE

LIBER XII.

XXV. Si mihi contingat, sacrum, cui terra polusque
Applicuere manus, ac tot mea membra per annos
Attrivit, valeat tendem mollire poema
Crudeles iras, queis pulcro excludor ovili,
Agnus ubi obdormi, atque lupis infensus iniquis,
Qui vastum hoc faciunt, alia cum voce redibo
Velleribusque aliis; patriaeque ibi redditus urbi,
Lustralem ad fontem, quo sum Baptismatis unda
Jam puer ablutus, cingam mea tempora serto:
Quippe hic ante Fidem accepi, quae Numine coram
Dat clarere Animas; ac Petrus deinde per illam,
Circumiens, pulcro cinxit mihi lumine frontem.
Agmine dehinc aliud prodivit Lumen eodem,
Unde Virûm exierat primus, queis facta potestas
Est Christi exercere vices; ac diva Beatrix
Laetitiae tum plena, mihi: aspice aspice, dixit;
Hic heros, per quem peragre Gallaecia aditur.
Nen secus ac, socio propior cum saepe columbus
Constitit, alternum gyrisque ac murmure amorem
Utrique ostendunt: alium sic comiter alter

Excepit procerem, aeternae convivia mensae
Laudibus alternis celebrans. Cum mutua finem
Officia attigerunt, coram taciturnus uterque
Adstitit, igne adeo effulgens, ut ferre nequirem.
Spiritus insignis. dixit tum Diva renidens,
Qui jam caelestis scripsisti gaudia sedis,
Hic de Spe loquere; ista tibi tam quippe patescit,
Atque tot illustrans variis das nosse figuris, (1)
Discipulos quoties claravit lumine Christus
Prae reliquis trinos. Age, frontem attolle. secundum
Tum mihi Lumen ait: tibi sit fiducia corde.
Erige te: radiis nam maturescere nostris
Est opus, huc quisquis venit telluris ab oris.
Incitus his verbis, in montes lumina tollo, (2)
Qui prius haec nimio curvarant pondere. Quando,
Tum mihi idem dixit, nostri te gratia Regis,
Extremum ante diem, Caeli in penetralibus altis
Dat proceres adiisse suos, ut cum istius aulae
Sis vera intuitus, spem, quae horum incendit amore
In terris recte, exacuas aliisqne tibique,
Dic, quidnam est Spes; atque, tuo si pectore floret,
Unde tibi dedusta venit. Responsa parantem
Me pia praecessit, quae, ut tam sublime volarem,
Tradiderat pennas: Ex exercentibus, inquit,
Militiam Christi, nemo est, cui pectore major
Spes vigeat, velut in summo, qui lumine cunctos
Nos adeo illustrat, conscriptum est cernere Sole.
Ante ideo quam militiam compleverit, illi
Fas est Ierusalem ex Ægipto ascendere visum.
Caetera, quae poscis, non ut tibi noscere detur,
Verum, ut quam virtus haec sit tibi grata renarret,
Dicenda huic linquam: non illi solvere durum
Haec erit, atque suis aberit jactantia dictis:
Is referat, tantumque Dei det gratia posse.

Discipulus veluti, quae scit, responsa magistro
Dat celer atque alacer, cupidus didicisse videri;
Spes est, respondi, expectatio certa futurae
Laetitiae, ex meritis quae praecedentibus atque
Munere divino exoritur. Mihi sidera lucem
Multa hanc sufficiunt; sedenim prior tradidit ille
Qui cecinit Vates summi praeconia Regis:
In te spem ponant, sanctis is dixit in hymnis,
Qui nomen novere tuum. (quis nesciet illud
Cui mea corde Fides?) Illinc tua epistola tantum
Hanc mihi stillavit cordi, ut sim plenus, et undans
Vestrum aliis invertam imbrem. Dum talia farer,
Interiore sinu vibrabat in illius Ignis
Creberque ac subitus splendor, velut aethere fulgor;
Mox ait: Hujus amor virtutis, quo hactenus uror,
Jam me supremam ad pugnam palmamque secutae,
Vult tibi uti loquar, ejusdem qui ardescis amore;
Atque ideo mihi erit gratum, te dicere, quidnam
Spes tibi promittat. Tunc ipse: Novae atque vetustae
Signum constituunt tabulae; atque hoc noscere praebet.
His de Spiritibus, sibimet quos Numen amicos
Omnipotens fecit: Quaevis se duplice amictu (3)
Induet, Isaias ait, in tellure suapte;
Ac tellus est ista domus. Manifestius istud
Et tuus ostendit frater, cum praemia narrat
Esse stolas niveas. Paulo ante haec ultima verba
Nos super *in te spem ponant* audita sonare
Est vox; ac simul omnes respondere choreae.
Exinde has inter Lumen sic claruit ingens
Ut, si tam clarum Cancer sibi sidus haberet,
Unius mensem numeraret bruma diei. (4)
Se velut, assurgens, choreas ducentibus addit,
Non aliam ob causam, virgo, sed laeta recenti
Gratificans nuptae; Splendor sic ille duobus

Accessit reliquis, se utrisque rotantibus, ardens
Ut poscebat amor, cantum numerosque secutus;
Atque his haerebat vultum defixa Beatrix,
Qualis nupta recens immobilis atque silescens.
Mox ait: Hic cubuit Pelicani in pectore nostri,
Delectusque fuit magno ex cruce munere fungi.
Haec dixit; nec proinde oculos a luce retorsit
Tergemina, ac firmis intenta obtutibus haesit.
Quales, qui obstringunt oculos spiramine parvo
Ut proprio aspiciant defectum lumine Solem,
Qui lucis damnum lucis patiuntur amore;
Sic egi tunc ipse, novum conversus in Ignem.
Quare is: cur, dixit, perstringis lumina, ut illud
Aspicias, quod non est hic? Mea terrea membra
Terra tenet, reliquisque simul dehinc usque tenebit,
Dum numerum, mens alta Dei quem fixerit, aequent.
Sunt cum utrisque stolis, quibus huc venere, beatis
Sedibus in Coeli geminae tantummodo Luces:
Atque hoc, cum redeas, terris memor esto referre.
Talia sic fatus, siluit; Lucisque perinde
Tergeminae in gyrum motus cantusque quierunt,
Sicut, ut aut labor evitetur sive periclum,
Caerula qui primum pulsabant aequora remi,
Continuo, simul ac rector dat sibila, sistunt.
At mea quam violens turbavit pectora motus,
Cum mihi, ut aspicerem verso, non visa Beatrix,
Quamvis me juxta foret, et felicibus oris!
XXVI. Dum sic haererem dubius, quod luce carerem,
Ilicet ex ipso, qui jam restinxerat, Igne
Prodivit vox, atque sibi me advertere jussit.
Dum lucem amissam repares, pensare juvabit
Interea hanc fando. Dic ergo, ac incipe: quonam
Mens tua directe tendit? Ne rere peremptam,
Sed lucem amissam; nam, quae te duxit in istas

Felices sedes, virtute hac pollet ocellis,
Quae fuit Ananiae manibus. Medicamina, dixi,
Sponte sua, sero aut cito, quandocumque lubebit,
Afferat illa oculis, per quos sese intulit ardor,
Qui me totum urit. Quod vero haec coelica regna
Laetificat sine fine Bonum, alpha omegaque scripsi est,
Quod mihi amor legit aut leviter vel fortiter, omnis.
Vox ea tunc eadem, quae me forminide lucis
Solverat amissae, curam mihi plura loquendi
Injecit: magis angusto, mihi dixit, oportet
Clarifices cribro: te dicere oportet, ad istud
Quis tibi proporro signum direxerit arcum.
Tunc ego: Per Sophiae argumenta, ac Numine chartas
Afflatas debere scio hunc fervescere amorem:
Namque bonum, vix percipitur, succendit amorem,
Succenditque magis, quanto bonitatis habere
Percipitur majus. Quae Essentia praeterit omnia
Hinc bona, ut illius radius sit, quidquid in orbe
Extra illam bonitatis adest, ante omnia amando
Tendere in illam debet mens cujusque videntis
Id verum, in quo argumentum hoc innititur ipsum.
Hoc mihi demonstrat, qui primum ostendit Amorem (5)
Res esse ante omnes, quae cuncta in secula vivunt;
Auctor et id verax monstrat, de se ille locutus
Amramidae: *omne bonum pandam.* Tu ostendis et ipse
Qui, magnam prae aliis alte praeconibus orsus
Historiam, arcanum terris caeleste revelas. —
Ac tunc ille mihi: nativi luminis usu
Auctorumque fide, quae non hoc dissonet, actus,
Praecipuum servare Deo reminiscere amorem;
At dic praeterea, numquid te vincula ad illum
Altera deducant; quot nempe hic dentibus ardor
Cor tibi demordet. Sensi quid verba sonarent
Christi Aquilae; sensi quo me traducere vellet.

Quare iterum coepi: Morsus quotcumque revolvuut
Corda Deo, coiere meum succeudere amorem.
Conditus et mundus, mihi tradita luminis aura,
Dirum, quod, vita ut fruerer, letum ille subivit,
Gaudiaque, ut mihi, sic omni sperata fideli,
Ac memorata prius, pelago fallacis amoris
Abstulerunt, verique dedere attingere ripam.
Sum frondes etiam, sese quibus induit hortus (6)
Æterni Agricolae, tanto impertitus amore,
Quantum his i lle boni summus largiverit Auctor.
Vix ea, per cunctos late dulcissimus axes
Insonuit cantus; reliquosque secuta Beatrix,
Ipsa etiam *Sanctus sanctus sanctus* que canebat.
Lumine ut abruptus discedit somnus acuto;
Nam fulgore, oculi tunicas qui permeat omnes,
Excutitur vis visendi, et commota recurrit:
Ipse autem vigilaus, quidquid circumspicit, horret,
(Tam sensu ille caret!) dnm mens res aestimet aeque;
Sic mihi tunc oculis oculorum luce suorum
Quisquilias omnes abjecit diva Beatrix,
Qui plus quam longe fulgebant millia mille.
Clarius hinc, quam ante, aspexi, ac de Lumine quarto,
Quod prope nos vidi, stupefactus mente rogavi.
Ac mea tum Mulier: Virtus quam prima creavit,
Prima hic est Anima; atque suo hoc in lumine laeta
Factorem intuitur. Ceu frons impulsa cacumen
Incurvat vento ac relevat, virtute suapte,
Quae sursum attollit; sic ipse, ut talia sensi,
Miratus feci: mox fandi accensa cupido
Me propere erexit; fudique has pectore voces:
O unum aeterna maturum ex arbere pomum
Ortum, antique Pater, cui femina quaeque jugali
Vincta toro, est nurus ac proles, reverenter, et omni
Te precor obsequio, mecum dignare profari:

Quod cupio, ipse vides; ac proinde ostendere mitto,
Ne tua verba morer. Qualis cum tegmine operta
Bellua dat motus, ex ipsa veste revelat,
Motus sectanti, cupido quod pectore versat;
Sic prima illa Anima ex claro, quo involvitur, igne
Nosse dabat quantum cuperet mihi reddere voces;
Mox ait: Haud opus est tua tu mihi vota reveles,
Quippe ea plus novi, quam tu certissima nosti:
In speculo haec etenim video, quod imagine viva
Cuncta refert, cum nulla potest id imago referre.
Scire cupis, quantum sit lapsum temporis, ex quo
Me Deus omnipotens florente locavit in horto,
Haec ubi ad ascensum tantum te reddidit aptum;
Quamque diu hunc colui, et quae tantae Numinis irae
Causa fuit; quae verba inveni, et qualibus usus.
Non fuit, o fili, pomum mihi causa comestum
Exilii, at voluisse datum transmittere signum.
Ex quo proinde loco excivit jam diva Beatrix
Virgilium, quatuor mihi millia, tercentosque
Atque duo, optanti has sedes, Sol attulit annos;
Ac novies centum vicibus trigintaque vidi
Hunc, dum vitam agerem, cunctos remeare per orbes.
Qui mihi tum sermo fuit, est dilapsus ab usu,
Ac prius interiit, quam, nunquam explebile, Nembrot
Aggrederetur opus: non immutabile quippe est
Quidquid ab humanae pendet moderamine mentis,
Quae sequitur Coelique vices ac signa regentis.
Dat Natura loqui; sed qua ratione modoque,
Deserit arbitrio, prout est humana voluntas.
Unum, cum me mortalis jam vita tenebat,
Supremum dixere Bonum, a quo gaudia manant,
Ac me purpureo circumdat lucis amictu:
Hinc dictum est *Eli*; nam, qui vos temperat, usus
Frondibus est par arboreis, quarum altera surgit,

Altera descendit. Montem, quâ se altius undis
Attollit, nullo conspersus crimine primum
Deinde reus, colui ex hora prima usque secundam
Cum Sol quadrantem sexta mutaverit hora (7)
XXVII. *Gloria Patrique ac Nato, et, qui spirat ab hisce*
Spiritui, late tractus resonare per omnes
Incepit Coeli; cujus dulcedine cantus
Ebrius haerebam. Risum spectare videbar
Totius mundi: modulamen quippe beabat
Aures, ac lux alma oculos. Oh dia voluptas!
Nesciaque humanis narrari gaudia verbis!
Oh nunquam turbata quies, ac mutuus ardor
Unanimis! oh divitiae, absque cupidine, certae!
Ante meos oculos succensae quattuor alma
Stabant luce Faces. Radiis tum augescere coepit,
Quae prius huc se detulerat, talisque refulsit,
Quale foret, Martis si Juppiter igne ruberet.
Provida mens, quae cuncta regit, quaeque ordinat illic
Muniaque atque vices, jam fecerat undique ovantes
Conticuisse choros. Tum vox mihi venit ad aures:
Si mihi mutatur color, ipse stupescere noli;
Namque hunc mutare omnes, me dicente, videbis.
Sede mea, heu! sede mea, heu! sede meapte,
Quae Natum vacat ante Dei, injuste ille potitur,
Qui nostrum tumulum foedam facit esse cloacam
Sanguinis, ac puris, gaudet quibus ille scelestus,
Hinc qui pulsus abit. Dixit; Caelumque colore
Undique conspersum vidi, quo se induit olim,
Sole ex adverso, sub mane aut vespere, nubes.
Ac veluti, secura sui, et sibi conscia recti,
Audit ut alterius facinus, formidine honesta
Corripitur mulier; sic os est versa Beatrix.
Tali, ex defectu Solis, ferrugine Caelum
Tum reor indutum, cum summa est passa Potestas,

Exin sic fari conversa est voce secutus,
Ut non plus versa est facies. Non alta cruore
Et Lini et Cleti atque meo, ut sibi quaereret aurum,
Sponsa fuit Christi; sed enim Pius atque Chalistus,
Sixtus et Urbanus mortem oppetiere cruentam,
Pest multum fletus, ut gaudia ad ista venirent.
Non mens nostra fuit, quod successoribus olim
Christiadae partim ad dextram partimque sinistram
Adstarent; non quod claves, quas ipse recepi,
Vexilla ornarent, gentem bellantia contra
Baptismo ablutam; non quod mea sancta favores,
Mendaces venumque datos, signaret imago;
Quare ego persaepe indignor, cumulorque pudore.
Pastorum sub veste, lupi per cuncta videntur
Pascua. O tutela Dei, cur lenta quiescis?
Sanguine fidentes se Vascones atque Cadurci (8)
Nostro implere parant. Quam tristem exordia finem
Tam bona contigerunt! Sed mens ea provida certe,
Quae per Scipiadam totum regnare per orbem
Asseruit Romae, veluti mihi credere par est,
Iam cito succurret. Tuque o, qui deinde redibis
Mortalem in mundum, fili, tu labra reclude;
Qaeque ego non sileo, noli tunc ipse silere. —
Alba nivis veluti labuntur vellera Caelo,
Cum Sol ingreditur glacialis cornua Caprae; (9)
Aethera sic totum sursus candescere vidi;
Atque triumphantes, quasi vellera, surgere Luces,
Quae jam nobiscum fuerant. Has ipse sequebar
In sublime oculis, donec distantia multa
Intuitu eripuit. Sursus me diva Beatrix
Cernere cessantem aspiciens: tua lumina, dixit,
Flecte agedum terris, ac cerne es quomodo versus.
Ex quo ante aspexi, vidi me ivisse per omnem,
Quam prima ex medio ad finem plaga conficit, arcum. (10)

Hinc mare trans Gades, quod stulte intravit Ulysses,
Littus et hinc unde evecta est Europa, videbam.
Plus etiam areolae istius tunc cernere possem,
At mea Sol ibat subter vestigia, plusquam
Zodiaci signum lapsus. Ex vulnere Amoris
Saucia, et in dominam semper defixa cohaerens,
Mens mea rursum illi convertere lumina avebat.
Si, quae pascendis oculis Natura paravit,
Aut ars, ut mentem caperet, vel picta colore
Vel carne ex viva, jungantur pabula in unum
Omnia, nil essent, si, quae mihi dia voluptas
Tum fuit, ut vultum vidi, aequiparetur eisdem.
Illius intuitu mihi virtus indita, nido
Eripuit Ledae; Caelumque evexit in altum
Prae. reliquis, celerique magis vertigine volvens.
Nullam habet haec regio, vivissima et alta, locorum
Discrimen: sunt cuncta eadem atque simillima formas.
Non ego propterea qua tunc in parte Beatrix
Me posuit, norim. Ast ea, cui mihi mente patebant
Condita, sic coepit ridens ac laeta profari,
Ut vultu exultare Deus sit visus in illo:
Hinc, velut ex meta propriaque ab origine, motus
Incipit, et medium sistens, et caetera volvens. (11)
Non locus hoc Caelum cohibet, nisi Numinis una
Provida mens; unde exit Amor, quo volvitur ipsum,
Ac virtus quae exinde fluit. Lucisque et amoris
Circulus hunc cingit, reliqui ut cinguntur ab ipso:
Quique hunc praecingit, regit atque intelligit unus.
Non alius motum istius metitur, at ipse
Metitur reliquos, veluti de quinque duobus,
Aut bis quinque, decem fiunt. Jam noscere posses
Quomodo radices hac mittit tempus in urna, (12)
Atque aliis frondes. Oh rerum dira cupido,
Quae sic mortales mergis, ne tollere ab undis

Quisquam oculos valeat. Bene floret recta voluntas,
Imber at immodicus bona dat flaccescere pruna.
Integritas animi atque fides reperitur in unis
Dumtaxat pueris; quae post lanugine nondum
Effugit inspersis malis. Quidam abstinet esca
Balba loquens, qui quemque cibum mox ore soluto
Usque vorat. Quidam audit amatque parentem
Ralba loquens, qui ore hinc liber mortem optat obire.
Candida sic pellis natae fit nigra decorae (13)
Illius, qui maue diem, qui vespere noctem,
Adveniens abiensque refert. Tu talia noli
Mirari, reputans animo, rectore carere,
Atque ideo humanam converti in devia gentem.
Ante antem hiberno Jani quam tempore mensem
Extrudat puae negligitur centesima (14), talis
Orbibus edetur late rugitus ab hisce,
Ut, quo sunt puppes, sors expectata revolvet
Proras, ac recto procedet tramite classis,
Veraque post flores prorumpent denique poma.

XXVIII. Postquam ea caelesti quae me dulcedine complet,
Praesentem adversus vitam mihi vera retexit,
Ut flammam in speculo videt is, cui in terga relucet,
Ante hanc quam putet aut cernat, seseque revolvit
Visurus numquid vitrum sibi vera revelet;
Cunctaque respondere videt, ceu norma tabellae
Cantoris numeris: sic me fecisse recordor,
Pulcros inspiciens oculos, ubi vincula nevit,
Me vincturus, Amor. Nam, postquam me ipse revolvi,
Atque meos tetigit, quod cuique volumine in illo
Perspicuum apparet, bene si perspexerit illuc, (15)
Sum punctum intuitus, tanto fulgore coruscans,
Tantosque effundens radios, ut nulla tueri
Hoc acies possit, lucemque evitet acutam.
Quae minima hic stella apparet, foret integra Luna,

Huic si confertur, velut astrum apponitur astro.
Igneus hoc, fors distans, quam qui circuit olim
Aut Lunam aut Solem, quoties vapor aera densat,
Circulus ambibat, motu tam praepete sese
Volvens, ut reliquis citiorem vinceret orbem.
Hunc alter dein cingebat, qui cinctus ab altero
Inde erat: hunc itidem quartus cingebat; et istum
Quintus; quintumque hinc sextus; quem septimus inde
Cingebat pariter, tam vastus et amplus, ut illum
Nuntia Iunonis nequaquam includeret arcu:
Octavus sic et nonus. Se quisque movebat
Tardius, in numero quo plus distabat ab uno.
Purior his flamma ardebat, quo quisque favillae
Proximior purae: puto, quod plus haurit ab illa.
Valde suspensum curis me diva Beatrix
Aspiciens: Puncto, dixit, dependet ab isto
Caelumque ac Natura omnis: circlum inspice, juxta
Qui magis est illi: tanta vertigine raptim
Volvitur, ardentem propter, qui impellit, amorem.
Ipse autem contra: Si, quem tuor orbibus istis,
Ordine constaret mundus, nil quaerere haberem
Amplius, expletusque forem; sed cernere fas est
In mundo, plus hoc orbes virtutis habere,
Quo magis a centro distant. Si proinde cupido
Hoc miro in templo, cujus confinia tantum
Sunt amor et splendor, mea finem attingere debet;
Est mihi discendum, quianam non congruat aeque
Exemplo exemplare suo; deprendere quippe
Hoc mea mens nescit. — Digitis si hunc solvere nodum
Non potes ipse tuis, non est mirabile; tantum,
Quod nunquam fuerit tentatus, duruit! inquit
Diva mihi; atque hinc subjecit: Nunc accipe porro,
Si satur esse velis, quae jam tibi tradere sumam;
Ac super hisce tuae exerce dehinc mentis acumen,

Sunt ampli angustique orbes, qui corpere constant,
Prout minor aut major virtus se his undique fundit.
Majorem ex majore pari bonitate salutem, (16)
Majorique capi bonitatem corpore oportet
Majorem, cunctis si constat partibus aeque.
Circulus hic, mundum qui secum corripit omnem,
Respondet circlo, cui amor et sapientia major:
Propterea, si, non quod cernis in orbibus hisce,
At tibi pendatur virtus, motum ordine miro
Congruere aspicies menti, quae commovet illos. —
Non secus ac late fit splendidus atque serenus
Aër, cum Boreas Scytico flat purus ab axe,
Quippe absunt nubes; Caelumque, vaporibus actis,
Ridet, opesque suas spectantibus undique pandit;
Sic ego sum factus, postquam mihi clara Beatrix
Dicta dedit; visumque est verum, ut in aethere sîdus.
Vis ea conticuit, veluti quod bullit in igne
Scintîllat ferrum, sic orbes protinus omnes
Scintillas dederunt, numerum ut pervincere possent
Ludicrorum omni geminatum sede latronum.
Laudibus audibam celebrarier undique punctum
Immotum; quod quemque tenet, semperque tenebit
In statione sua, qua semper et ante fuerunt.
Tunc ea, quae dubia mihi condita mente videbat,
Primi orbes monstrant, dixit, Seraphim atque Cherubîm;
Ac ita veloces sua vincla sequuntur, ut ipsos
Se puncto assimilent, quàm possunt; atque potestas
Haec tanta est illis, est quanta videre facultas.
Qui circum hos vadunt (et ab his fit ternio primus),
Divini aspectus, proprio sic nomine dictos, (17)
Esse Tronos scito! quo quisque profundius illud
Intuitur verum, quo mens cujusque quiescit,
Laetitia est major: quapropter dia voluptas
Exoritur visu; non, qui succedit, amore.

Gratia metitur visum et propensa voluntas;
Atque ita visùsque et gaudî est mensure gradatim.
Ternio dehinc alter, florens hoc vere perenni,
Quod nullo autumno exuitur, praeconia cantat
Ordinibus trinis, queis constat: continet iste
Et Dominatus, et Virtutes, atque potestas
Queis nomen tribuit. Geminus paenultimus ordo
His constat, sibi qui ducunt a principe nomen,
Et qui sunt Arcangeli; et Angeli in ordine summo.
Omnes inspiciunt sursum, tantumque deorsum
Efficiunt, ut quisque Deo trahiturque trahitque.
Hos est Dionysius tanto meditatus amore, (18)
Nomine ut et numero penitus, velut ipsa, notavit:
At Gregorî diversa fuit sententia; quare,
Vix ille astriferis oculos reseravit in oris,
Errorem risit. Tu vero stupescere noli
Arcanum hoc tantum terris potuisse patere
Mortali; quippe hoc, atque hujus plurima regni,
Olli nosse dedit, qui in Caelis talia vidit. (19)
XXIX Cum Phoebus Phoebique soror, Latonia proles,
Ariete Libraque obtecti, statione videntur
Opposita, zonamque illis facit unus horizon,
Quantum est ex puncto, quo Caeli ex vertice uterque
Æque distat, ad id quo zona abscedit ab illa, (20)
Tantum conticuit, vultu ridente Beatrix
Inspiciens punctum, quod me devicerat; inde
Sic est effata: Haud posco, quod discere quaeris;
Namque mihi est visum, quo tempora cuncta locique
Consistunt omnes. Non ut sibi quaereret ullum,
(Quod nequit esse), bonum; verùm ut sese esse pateret.
Æterna sua in aetate, ac trans temporis aevum,
Ut sibimet visum, quin hoc conceperit alter,
Ipse novos aeternus Amos produxit Amores.
Nec piger ante fuit: Domini cum spiritus undus

Se super has ferret, non *post* atque *ante* fuerunt.
Forma ac materies pariter, junctaeque meraeque, (21)
Prodivere, omni vitioque ac labe carentes,
Non secus atque arcu tria tela emissa tricordi.
Utque in cristallo et vitro ac phaetontide gemma
Translucens radius, non ocyus attigit illam,
Quam, sese insinuans, pervadat lumine toto;
Artificis summi ex manibus sic tota triformis
Prodiit, exordî nullo discrimine, moles.
Conditus est quopue in hac ordo, rebusque creatis
Impositus: quae praestant puro actu, orbe supremo;
Quaeque potestate (22), extremo; et quae utrisque, locatae
Sunt medio, his vinclis, quae nil abrumpere possit.
Hieronymus, multa ante orbem jam secla creatas
Angelicas dixit mentes; sed scripta refellunt
Hoc afflata Deo; quod tu potes ipse videre,
His si animum vertas: ratioque hoc ipsa refutat,
Motores tanta mancos aetate fuisse.
Quomodo jam fuerint, quandoque, ubinamque, creati
Tu scis; atque tibi trina est expleta cupido.
Haud quisquam numeret bis dena ita tempore parvo,
Quam pars illorum turbavit, pabula vobis
Praebentem, terram. Pars altera perstitit; atque
Exin hac fungi coepit, quam conspicis, arte
Tam volupe, ut nunquam desistant volvere circum.
Illius, in quem vidisti omnia pondera toto
Congruere ex mundo, malesana superbia tantae
Causa fuit cladis. Quos hic adsistere cernis,
Perstiterunt animo mites, sibi habere professi
Ex bonitate Dei, quod tam tuerentur acute.
Quare, his pro meritis, illorum Gratia lumen
Auxit, et in recto fuit obfirmata voluntas.
Nec dubitare volo, at scito quod Gratia sese
Attribuit meritis, aditus prout panditur illi.

Jam super his rebus, non auxiliantibus ullis,
Multa putare potes, mea si tibi verba notentur;
At, quoniam iu terris tradunt ex sede magistri,
Quod mens Angelica, et vult, ac intelligit, atque
Commeminit, dicam ulterius, cognoscere clare
Ut verum valeas, quod valde obnubilat error.
Angelicae mentes, ex quo se Numinis ore
Laetificant, illinc nunquam se deinde remorunt,
Cuncta ubi cernuntur: non interciditur illis
Rerum proinde nova veniente ab imagine visus;
Nec, quod divisum est ideo revocare necesse est.
Quare ibi mortales vigilando somnia condunt,
Dicere dum verum, vel non hoc dicere, credunt:
Major at hoc culpa atque pudor. Non calle Sophorum
Vos gressum fertis: sapientes tanta videri
Cura animum trahit, atque frui rumore secundo!
At magis hoc etiam hic fertur, postponere sanctas
Quam tabulas, aut has in vanos vertere sensus.
Nec reputant, quanti steterit scvisse per orbem
Numinis hoc verbum, et quantum sit gratus eidem
Huic humilis quicumque haeret. Clarescere quaerunt
Ingenio; atque ideo sacri sua quisque reperta
Praecones iterant, Evangeliumque siletur.
Asserit hic Lunam, cum mortem Christus obivit,
Detorsisse viam, atque objecto corpore Solis
Impediisse jubar, ne terrae attingeret oras.
Alter ait lucem sponte abscessisse suapte,
Atque ideo, velut Abramidas, caligine densa
Hispanos late tectos Indosque fuisse.
Non tot habet cives Florentia nomine Bindos
Ac Lapos, quot sacra sonant per pulpita in anno
His similes fabulae; ac vento grex pastus inani
Hinc redit; ipse nocens, quod non mala pascua vitet.
Non: ite, ac populis vanas divendite gerras,

Dixit discipulis Christus; sed, tradite Coeli
Doctrinam veram; atque illi sibi scutaque et hastas
Ad pugnam ex hac condiderunt, ut cordibus almam
Insererent Christique fidem et virtutis amorem.
Scommata nunc vanique crepant per pulpita lusus;
Dummodo et effusum det risum turba, cucullus
Inflatur, nec quidquam ultra est inquirere cura:
Si volucrem vero, latitantem in acumine, posset
Cernere, cerneret et veniam, cui credula fidit.
Usque adeo in terris haec insipientia crevit,
Pollicitis ut quisque fidem sine teste quibusvis
Praebeat. Inde suem multa pinguedine divus,
Ac sue pejores alios, Antonius implet,
Gentibus absque typo conflata numismata solvens.
At, quia digressi sumus, eja age, lumina rectae
Redde viae, ut brevietur iter, tempusque rependat.
Angelicam turbam, nec mens humana, nec ora,
Dinumerare queunt. Si, quae Babylone revelat
Visa sibi Daniel, reputes, latuisse videbis
Certum hujus numerum, quamvis tot millia vidit.
Tot Lux prima modis, quae totam illuminat, illi
Inseritur, quot sunt queis sese inserit; et quia
Insitio parit ardorem, impar fervet in illa
Dulcis amor. Cernis quam late alteque patescat
Vis immensa Dei, quae tot specularia fecit,
Queis sese infringit, dum semper permanet una.
XXX. Millia fors longe hinc sex millia, sexta calescit
Hora, ac ferme ad planum hic mundus dejicit umbras,
Cum Caeli medium, quod nobis imminet alte,
Induit alborem, quo lucem sidera quaedam
Amittunt; cumque ulterius mox nuntia Solis
Progreditur, toto clauduntur in aethere signa: (23)
Angelica haud aliter quae includunt agmina punctum
A quo includuntur, et quod mea lumina vicit,

Ex oculis abiere meis; delapsaque pompa
Atque amor ad Dominam illos hinc fecere reverti.
Si quidquid de illa dixi, confletur in unum,
Omne simul laudum, ejusdem describere formam,
Hac vice nequaquam valeat. Mihi visa venustas
Non tantum humanas mentes pulcherrima vincit,
Sed tota hac gaudere reor, qui condidit, Unum.
Hic me materies vincit, plusquam ulla poetam
Vicerit, edentem socco vel digna cothurno.
Nam, veluti ferit infirmum Sol lumine visum,
Sic mentis vires, risum meminisse decorum
Obterit. Ex illo, quo primum hanc tempore vidi
Usque huc, haud unquam desivi attollere cantu;
At nunc desistam; veluti cujuslibet est mos
Artificis, postquam ad summum pervenerit artis.
Hanc ego destituo, inde tuba majore canendam,
Quam mea; quae coepti properat contingere finem.
More ac voce ducis: Majori ex corpere, dixit
Illa mihi, egressi, ad Coelum pervenimus illud,
Quod lux est mera; lux mentis, quae impletur amore;
Optimi amore boni, in quo plene gaudia sistunt;
Gaudia, quae, quidquid dulce est, dulcedine vincunt,
Militiam hic geminam cernes, quarum una videri
Se dabit aspectu, quo extremi ad judicis ora
Videris. Ut fulgor, subito qui lumine turbat
Visendi vires, nequeant ut cernere quidquid
Fortius impellat; sic me lux vivida cinxit,
Obnubitque oculos, ut nil deprendere possent.
Divus Amor, qui summum hoc, inquit diva Beatrix,
Laetificat Caelum, semper venientibus istam
Impertitur opem, ut candelam accomodet igni.
Vix pauca haec est fata, meam me assurgere supra
Virtutem sensi; atque oculis sic reddita lux est,
Ut nulla et nimii vitaret tela nitoris.

Est mihi tum visus fulgentis luminis amnis,
Inter, quas ver pingebat mirabile, ripas.
Scintillae ex fluvio exibant, atque undique fusae
Floribus instabant, velut auro obeunte pyropi:
Mox iterum, veluti saturae fragrantibus auris,
Sese mergebant undis; semperque subibant
Demersis aliae. Quo te flagrantior urit
Discendi, quae cernis, amor, ,mihi gratior hic est;
At non ante sitim explebis, quam has hauseris undas.
Sol meus haec dixit; mox addidit: Amnis, et ignes
Qui subeunt surguntque vadis, et gramen amaenum,
Sunt veri effigies: non quod sint talia captu
Ardua, sed quod sit visus tibi manca facultas. -
Non avido sic ore ruit genitricis ad uber
Lac poscens infans, cum serius illa saporem,
Quam solet, excussit, quantum tunc protinus ipse,
Ut vires augerem oculis, me iu flumine flexi,
Quod, tales ut praestet opes, late explicat undas.
Lumina ut huc verti, quod pridem tramite longo
Decurrens ibat, mihi visum est esse rotundum:
Mox, veluti gens, quae jam personata videri
Se dedit, hinc alia apparet, cum, qua ante latebat,
Exuerit larvam: sic flores atque favillae
Se mihi mutarunt, ac Caeli ambo agmina vidi.
O lux alma Dei, per quam spectare triumphum
Fas mihi Caelituum fuit, hunc da pandere fando;
Et, qualem vidi, dignis ostendere verbis.
Est illic lumen, per quod spectare Creator
Dat sese his, qui tantum illius in ore quiescunt.
Usquae adeo in gyrum sese protendit, ut orbem
Flammiferum Solis nimium circumdaret ample.
Undique diffundit radios, primique reflectit
Mobilis in culmen, cui vim vitamque ministrat.
Non secus ac clivus praeterlabentis in amnis

Se speculatur aquis, tanquam visurus ibidem,
Queis ornatur, opcs florum berbarumque virentum;
Sic super instantes speculari lumine sese,
Per plus mille gradus, Animas vidi undique circum,
Quotquot ab his terris sunt caelica regna rerersae.
Lumine si tanto sese gradus infimus implet,
Quantum haec extremas frondes rosa pandat oportet!
Non mea nictabant, tam celsa atque ampla videndo,
Lumina; sed totum, quantumque ac quale, tuebar.
Nil hic proximitas fert, aut distantia differt;
Naturae lex namque silet, quo temperat unus
Ipse Deus, nullo causae consorte minoris.
Tanquam qui fari cupit, atque silentia servat,
In medium me deinde rosae, semperque recentis,
Pandentisque gradus, ac dulcem edentis odorem
Praeconî ad Solem, qui ridet vere perenni,
Diva tulit; dixitque mihi: nunc aspice quanta
In niveis est turba stolis; urbs aspice nostra
Quam se protendit: sedes sie aspice plenas
Ut gens deest puuca. Hac magna, quam ipse tueris
Ob super impositum diadema, locabitur, ante
Hoc tu ad connubium quam caenes, Spiritus alti
Henrici, qui Augustus erit terrestribus oris:
Erigere Italiam hic veniet, non hactenus aptam.
Quae vestros animos effascinat, atra cupido
Vos similes puero reddit, qui carpitur acri
Esurie, altricemque fugit. Non tramite eodem
Qui sacris praeerit rebus (24), furtim atque patenter,
Se feret. Haud longum Deus hunc at munere sancto
Deinde sinet fungi: magus est ubi Simon, abibit,
Ut det Anagninum sedes magis ire sub imas.

XXXI. In niveae ergo rosae effigiem mihi sancta videri
Militia est data, quam sponsam sibi sanguine Christus
Junxit. At altera, quae cernit cantatque volando

Gloriam et illius, cujus flammatur amore,
Et quae ipsi dederit bonitas excellere tantum;
Quale examen apum, quod nunc insidit odoris
Floribus, et nunc ad cellas ac mella revertunt,
Ad florem magnum, ornatum tot frondibus, ibat
Delapsa; adque suum mox se referebat Amorem.
Ignis erat facies, aurum alae, ac caetera tantum
Candida, ut his nivium nequeat contendere candor.
Cum florem peteret, per sedes lapsa gradatim,
Ardoris pacisque dabat, dum ventilat alis (25)
Ipsa latus, quod adepta fuit. Nec tanta volantum
Turba, Deum floremque inter, visum atque nitorem
Intercidebat: nam lux divina per omnem
Inseritur mundum, prout quisque est dignus; et objex
Nusquam illi esse potest, ac nulla repagula claudunt.
Istud, gente frequens priscaque novaque, beatum
Ac tutum regnum, visumque perinde et amorem
Uni intendebat signo. O lux, sidere ab uno
Quae trina effulges, recreans tam corda tuentum,
Respice nimbiferam, quae nos premit atra, procellam.
Si, procul hibernis veniens gens barbara ab oris,
Quo se Helice semper cara cum prole revolvit,
Obstupuit, Romam aspicies operumque labores,
Cum res mortales Lateranum desuper ivit;
Qui mihi, ab humano ad divinum, ex tempore ad aeternum,
Evecto, ad populum justum Florentiae ab urbe,
Tum stupor ingruere atque invadere debuit artus!
Attonito ac laeto, mihi nil audire libebat,
Ac pressis haerere labris. Velut advena quondam
Se recreat, templum, quod voto adstrictus adivit,
Aspiciens, speratque redux jam visa referre;
Sic ego per vivam volvebam lumina lucem
Sursumque deorsumque; ac gyros saepe per omnes
Visum iterans. Cernebam etenim suadentia amorem

Ora, aliena luce suoque nitentia risu;
Cernebam ornatos cunctis virtutibus actus.
Jamque locum totum lustraram, lumina volvens,
Nulla defixus parte; atque cupidine plenus
Vertebar, Dominam cupiens nonnulla rogare,
Quae me suspensum, non intellecta, tenebant;
Ast unum volui, atque aliud mihi contigit: illam
Sum ratus aspicere, ac Seniorem adsistere vidi,
Vestibus indutum niveis: oculosque genasque
Laetitia perfusus erat, vultuqpe benignus,
Ut pater in natos. Ubinam, inqui protinus ipse,
Illa est? Ut tua sit penitus perfecta cupido,
Respondit, me dimovit de sede Beatrix;
Sique gradus summi ad gyrum tua lumina tertium
Attollas, hic in solio alte adstare videbis,
Quod sua promeruit virtus. Nulla orsa reponens,
Lumina subrexi, atque illam reflectere vidi
Æternos radios, eque his sibi texere sertum.
Nemo illis, resonant ubi rauca tonitrua, ab oris
Est ita sejunctus, pelago demersus in imo,
Quantum oculis erat illa meis. Distantia vero
Haud quidquam obstabat visu; quippe aere tractus
Per vacuos, non mixta mihi veniebat imago.
O mea spes, Mulier, mihi quae latura salutem,
Ferre per infernas passa es vestigia sedes,
Ex bonitate tua virtus et gratia, nosco,
Venerunt, quae me dederunt res cernere tantas;
Tu, me servitio eripiens, omni arte viaque
Usa es, queis poteras, ut libertate potirer:
Quae mihi munifice tribuisti, munera serva,
Ut mea, cui dederis dulcem reparare salutem,
Grata tibi hinc anima humano se corpore solvat.
Talibus oravi: atque illa ex tam parte remota,
Quale videbatur, me inspexit, blandaque risit;

Dehinc rursum aeterno se immersit fonte bonorum.
Sic mihi tum Senior: Coeptum deducere cursum
Ad finem ut valeas, sancto ad quem missus amore
Ac prece deveni, circum tua lumina volve
Hunc fulgentem hortum; quippe hujus visus acumen
Augebit, quo deinde queas ascendere divos
Altius ad radios. Caeli Regina favorem
Sufficiet nobis, cujus valde uror amore;
Sum namque illius, Bernardus nomine, servus. -
Ut nostrum ad templum quidam, progressus ab oris
Forsitan Illyricis, Christi sudaria vultu
Impressa aspiciens, nescit se explere tuendo;
Atque pius secum, sacra dum velamina cernit:
Haec vere tua. Christe Deus, fuit, inquit, imago?
Sic ego mirabar vivacem illius amorem,
Qui, secum meditans, caelestis gaudia pacis
Gustavit terris. O, quem sibi Gratia natum
Progenuit, tunc ille inquit, tibi talia nunquam
Gaudia notescent, donec tu lumina flects.
Suspice, et in gyros oculos attolle remotos,
Usque eo, ubi Regina sedet pulcherrima Caeli,
Quam totum hoc regnum colit et reverenter honorat.
Erexi alte oculos; ac, sicut mane recenti
Eous finis, veniens quem Phoebus inaurat,
Occiduum superat; sic, tamquam ex valle supernum
Ad montem ascendens oculis, spledescere partem
Margine conspexi, vincentem lumine totum
Undique consessum. Utque hic in qua parte manetur,
Quem male direxit proles Clymeneia, currus,
Illa magis fulget, minuunt dum caetera lucem;
Pacifica haec medio sic Auriflamma micabat
Acrius, ac reliquas dabat elanguescere flammas.
Hoc aciem in medio expansis applaudere pennis
Angelicam vidi, cujus fulgoreque et arte

Quisquis erat varius. Dum concentusque jocosque
Ingeminant, facies his arridere venusta
Est tum visa mihi, eunctis quae gaudia Sanctis
Addidit. Et, si quanta mihi est vis vivida mentis
Tanta foret fandi, non hujus promere verbis
Deliciae auderem minimum. Bernardus, amori
Cum vidit me haerere suo, tum lumina amanter
Huic ita defixit, magis ut me incenderit ardor.
XXXII. Caenobiarca senex doctoris munere fungi
Sponte sua incepit, vocesque has pectore fudit:
Vulnus, quod Maria hinc Virgo conclusit et unxit,
Haec tam pulcra sedens ejus vestigia subter,
Olim panditque ac pupugit. Deihinc ordine tertio
Hanc subter Rachel, velut aspicis, atque Beatrix
Adsidunt: hinc Sara et Judith atque Rebecca,
Et proava illius, sua qui commissa perosus,
Cantor ait *miserere mei*. Potes ipse gradatim
Descendens oculis, has nosse, ut nomina pandens
Per fondes ego progredior. Ex ordine septimo,
Ut super usque illum, sunt Abrae ex stirpe creatae,
In geminam partem dirimentes undique florem.
Quippe hae sunt murus, qui sacra sedilia didit.
Prout sua nempe fides direxit lumina Christo.
Qua flos est cunctis ornatus frondibus, illa
Sunt in parte, fidem Christi qui habuere futuri
Adventus: illa, qua sunt vacui atque patentes
Hemycicli, sunt qui Christo, postquam aethere venit,
Crediderunt. Solium ut Mariae, et subsellia subter,
In geminam didunt partem, sic ordine certo
Secernunt latere adverso, quibus ille Joannes
Paeest, qui, semper sanctus, vitam in saltibus egit,
Letumque atque duos infernum pertulit annos.
Post hunc Franciscus, Benedictus, et Augustinus,
Atque alii, sunt hic pariter secernere lecti

Per varios huc usque gradus. Tu suspice mirum
Consilium Dei, utramque fidem quod habentibus aeque
Hunc hortum implebit. Scito autem: ex sede deorsum,
Post floris medium, duo quae discrmina finit,
Non sua dant illic merita, ast aliena sedere,
Conditione rata (26); sunt hic nam corpore cassi,
Qui prius occiderint, quam vis sit certa legendi,
Ut vultu ex tenero, ac balbis deprendere verbis
Ipse potes, si videris aut audiveris illos.
Tu vero dubitas, dubitansque silentia servas;
Ast ego, quo tua te vincit mens, forte ligamen
Exsoluam. Non hoc in regno casus haberi
Est potis, ut sitis atque fames ac pectoris angor.
Æterna, quodcumque vides, est lege statutum;
Omnia conveniunt, respondent cuncta vicissim,
Annulus ut digito. Gens haec tam protinus ergo
Non fuit aeternae sine causa credita vitae.
Plus minus excellens venit has mortalis in aedes:
Rex, qui laetitia tanta ac tanto implet amore
Hoc regnum, ut nemo ulterius cupiisse sit ausus,
Quemque creans, variae dispensat munera gratiae:
Hoc satis; occultasque nefas inquirere causas.
Id patet ex geminis natis, qui matris in alvo
Commovere iras, (monumenta ut tradita sacris
Testantur tabulis). Pro crinis proinde colore (27)
Gratia quem dederit, divinum lumen oportet
Constituat sertum. Variis sunt sedibus ergo,
Absque suis meritis, positi, prout indita primum
Gratia distinguit, Pueris insontibus olim
Sat fuerat, mundi primis aetatibus, una
Patrum firma fides, ut Coelum ascendere possent.
Illis temporibus lapsis, hinc mascula pubes
Praecidi silice est circum genitalta jussa.
At postquam venit maturo tempore Christus,

Non est huc aditus, nisi per baptismatis undam.
Jamque age, luminibus faciem nunc conspice fixis
Quae magis est Christo similis: nitor illius unus
Reddere quippe potest habilem te cernere Christum.
Fervere laetitiam tantam tunc undique vidi
Hanc super, et sic Angelicas applaudere mentes,
Circum tam celsos tractus volitare creatas,
Ut nil me tanto cumulaverit ante stupore
Ex visis; nil rettulerit de Numine tantum.
Atque is, qui primus descenderat Angelus illuc,
Ante ipsam expandit pennas, ac voce canebat
Suavisona: Salve, quam Coeli gratia complet;
Cunctaque voce pari referebant agmina: Salve;
Ac facies cujusque novo fulgore micabat.
O qui, sancte Pater, dignaris, sede relicta,
Æterna, quam sorte tenes, hic sistere mecum,
Fare, quis est Ales, nostrae qui lumina laetus
Reginae intuitur, tantoque ardescit amore
Non secus ac ignis? Sic dixi, versus ad illum,
Qui Mariae radiis, ut Solis Lucifer igne,
Ornabat sese. Atque is: quae forma atque venustas
Angelo inesse potest, haec utraque fulget in illo;
Utque ita sit volumus: nam palmam detulit iste
Jam Mariae, cum mortales Deus induit artus.
Jamque age, me intentis oculis animoque loquentem
Prosequere, ac proceres hujus circumspice regni.
Hi duo, qui Mariae considunt sede propinqua,
Sunt quasi radices, unde haec rosa germinat ipsa.
Qui sedet ad laevam, pater est, quo auctore malorum
Incubuit tam magna seges mortalibus aegris.
Est pater ad dextram, floris cui tradidit hujus
Jam Christus claves (28). Huic adsidet ille, labores
Qui cuntos Sponsae, aetherias cum carperet auras,
Vidit, quam Christus fuso sibi sangnine junxit.

Juxta illum Dux ille est, sub quo roscidus imber
Indocilem pavit deserta per horrida gentem.
Ante Petrum sedet Anna, adeo contenta tueri
Natam, ut quamvis ore Deo praeconia solvat,
Nunquam oculos vertit. Primum sedet ante parentem
Quae Dominam est hortata tuam tibi Lucia adesse,
Cum caecis oculis in praeceps devius ires.
At, quoniam tempus fugit irreparabile somnî, (29)
Haec fuerit monstrasse satis, quo more peritus
Ad panni modulum sartor concinnat amictum.
Lumina, per nimios quantum penetrare licebit
Fulgores, primo enixe vertamus Amori,
Ne tibi contingat, quod, cum commoveris alas
Ipse tuas, ante ire ratus, gradiare retrorsum.
Ex illa, quae ferre potest, ne mitte rogare
Auxilium, mea dicta pio nunc corde secutus.
Talibus effatus, coepit sic rite precari.

XXXIII. Nati materque ac filia, humillima Virgo,
Ac eadem res alta super quascumque creatas,
Terminus aeternae, quae continet omnia, mentis.
Naturam humanam sic tu excellere dedîsti,
Factor ut illius fieri est dignatus ab ipsa.
Ille in ventre tuo rursum divinitus ardor (30)
Exarsit, cujus sancto tepefacta calore
Haec rosa in aeterna produxit germina pace.
Tu fax es nobis nunquam cessantis amoris;
Ac fons terrigenis, spes unde uberrima manat.
Tam magna atque potens es tu, clarissima Virgo,
Ut quisquis sibi quaerit opem, ac te absistit adire
Suppliciter, vult illius volitare cupido
Absque alis. Nec tantum ades implorantibus; ipsa
Saepe etiam antevenis. Miro tibi foedere juncta
Sunt pietas, clementia, magnificentia; et omne
Quod reliquis bonitatis inest, te sistit in una.

Hic, qui, ex inferni progressus vallibus imis
Usque huc, spirituum vidit per singula vitas,
Te rogat, ut tali facias virtute potentem,
Qua valeat visu supremam haurire salutem; (31)
Atque ego, qui plus haud unquam cupii ipse videre,
Quam nunc hunc cupio, te votis omnibus oro;
Atque oro ne vota sinas sine pondere nostra.
Pelle tuis precibus, mortalem discute nubem
Illius ex oculis; pateatque his summa voluptas.
Praeterea te, cuncta potens Regina quod optas,
Deprecor, illius, postquam se attollere tantum
Ad visum potuit, sensus sine labe tuere,
Atque tua humanos vincat custodia motus.
Inspice, Diva potens, nexis ut clara Beatrix
Haec te, Caelituumque rogent simul agmina palmis —
Dilecta illa Deo venerataque lumina, in ipsos
Defixa orantes, dederunt cognoscere, quantum
Grata sibi veniant pia verba ex corde petentum;
Æternum in Solem sunt protinus inde reversa,
Nullam ubi credendum est aciem tam cernere clare. —
Atque ego, votorum metae cum proximus essem,
Vim desiderii explevi, ut convenerat, omnem.
Subridens Senior nutu me celsa tueri
Admonuit; sed talis eram qualem ille volebat:
Namque oculi, pulsa usque magis caligine, verae
Per lucis penitos radios, magis usque subibat.
Visus deinde meus sese super extulit omne
Eloquium; ac memori nequiit proin mente teneri.
Non aliter quam qui in somnis conspexerit, alte
Quod movet illi animum, cum somnus deinde recessit,
Motus adhuc remanet, revocari at nescit imago;
Sic ego sum; nam visa mihi pene omnia cessant,
At dulcis superest, quae venerat inde, voluptas.
Sic nix ad Solem liquitur, sic carmina ventus

Perdebat, levibus foliis descripta Sybillae.
O, quae mortales adeo super ardua mentes,
Maxima lux, surgis, qualis mihi visa, parumper
Menti redde meae; ac linguae sic suffice vires,
Ut queat inde tuae venturi gentibus aevi
Saltem unam immensae scintillam ostendere gloriae:
Hanc animo revocans, numerisque canentibus edens,
Efficiam ut melius tua se victoria pandat.
Credo equidem, nimium divinae ob lucis acumen,
Quod defecturus fuerim, si forte remossem
Victus ab hac oculos; memori sed mente recurrit,
Quod magis hoc propter steterim defisus et audax,
Dum fontem immensae potui contingere lucis.
O vis divini auxilii! o mirabile donum,
Lumen in aeternum potui quo immittere visum
Usque adeo, ut vis tota mihi est expleta videndi!
Hic ab Amore simul religata volumine in uno
Vidi, quae variis mundi panduntur in oris.
Quod se ex ipso est, quodque aliunde exordia sumit,
Atque horum mores, adeo conflantur in unum,
Ut, quae nunc refero, tantum sint debile lumen.
Qui nodum hunc stringit, diversaque foedera jungit,
Me certe vidisse reor: nam talia fanti
Uberiora mihi perfundunt gaudia pectus.
Longior est mora momentum mihi temporis unum,
Saecula quam bis dena ac quinque struentibus Argo,
Cujus iter mediis stupuit Neptunus in undis.
Mens mea suspensa atque immota haerebat ibidem,
Usque magis flagrans, quo plenius usque videbat;
Est ea lux etenim talis, quae evadere ab ipsa
Non oculos unquam patitur: quodcumque voluntas
Quippe hominum exoptat, perfectum hic invenit omne;
Nec quidquam est alibi vitiis ac sordibus expers.
Iam nunc, quae memini, referens, non pluribus utar

Verbis, quam qui nutricis puer ubera sugit:
Non quia in aeterno, quod vidi, lumine plusquam
Unica sit facies: nam sic est semper, ut ante
Jam fuit; at quia ab intuitu mihi majus acumen
Semper erat visus: quare, prout ipse videndo
Mutabar, sese pariter mutabat imago.
Lumine in hoc imo trinos sum cernere visus
Orbes, mensurae ejusdem, triplicisque coloris,
Uno alius manans, velut Iris ab Iride prodit;
Tertius ignis erat, spirans aequalis utrinque.
O tenuis vis eloquii, quam rebus es impar,
Conceptas quas mente gero! (quae sunt quoque visis
Distantes adeo, ut non sit sat dicere *paulum*).
O Lux aeterna, ipsa tibi quae inniteris, unaque
A te perciperis; perceptaque percipiensque,
Te laetaris amans! mihi circulus ille secundus,
In te progenitus, quasi lumen lumine, postquam
Paulisper circum inspexi, ex proprio ipse colore
Est visus nostrae depictus imagine formae:
Quippe meis oculis haerebam totus ibidem.
Ut tacitus curas geometres admovet omnes,
Metiri ut circlum valeat, frustraque laborat,
Nam, quo eget, haud reperit, sic ipse in imagine fixus
Haerebam, mecum perquirens quomodo imago
Congrueret circlo, atque aptari posset in illo;
At nimis ista meas vincebat sarcina vires.
Mens mea tunc autem tali est percussa nitore,
Ut mihi continuo patuit, quod discere avebam.
Phantasiae me deseruit dein vivida virtus;
At jam, more rotae, circum vi aequaliter actae,
Ut mea ei concors ferret se rite voluntas,
Is volvebat Amor, qui Solem torquet et astra.

NOTAE



IN LIB. I.

1. Id est, quinto ac trigesimo anno, juxta illud Psalmi LXXXIX *Dies annorum nostrorum septuaginta anni.*

2. In Arietis constellatione, secundum illorum sententiam, qui mundum verno tempore creatum autumant. Cui haerens, Virgilius dixit: *Non alios prima crescentis origine mundi — Illuxisse dies, aliumque habuisse tenorem Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat — Orbis*

3. *Petri fores*, id est Portam Purgatorii, in qua Dantes Angelum collocat, qui S. Petri vices gerat.

4. Angeli rebelles gloriarentur, si neutrales Angelos, minoris culpae reos, eadem qua se ipsos poena puniri aspicerent.

5. De S. Caelestino hic Dantes loqui creditur, qui pontificatu maximo sese abdicavit.

6. *Saladinus*, rex Turcarum, vir magni animi, belloque insignis, qui Christiadas ad Tiberiadem vicit, ac Ierusalem cepit.

7. *Averroe*, Arabs, quod omnia Aristotelis opera interpretatus fuerit, dictus est *magnus Interpres,* Italice *gran Commentatore.*

8. *Ruinam*, fissuram illam montis, quam a summo ad imum imaginatur Dantes factam tempore mortis Christi qui est *Dei virtus.*

9. *Tristanum* ac *Paridem*, in fabulosis narrationibus, Italice *romanzi*, equites errantes.

10. Vide Notam 23 in lib. IV.

11. *Galeottus* lenonis nomen inter Lancillottum et Ginevram, de quorum amoribus historiam lectitabant.

12. *Rustica*, id est *Nigra*, sic dicta ab illius cāpite *Vieri de' Cerchi*, qui recenter venerat ex sylvis *di Val di Nievole*.

13. Carolus ex Valesio, frater Philippi, cognomine *pulcri*, Galliae regis, quem Bonifacius VIII accivit, ut inter Florentinos pacem conciliaret.

14. Damnatus, quanquam in fine mundi alteram quoque sui partem, scilicet corpus, accipiat, non in bonum accipit sed in malum; atque ideo nunquam veram perfectionem adquirere dici potest.

15. *Profundis?* (Dantes *burli?*) id est *getti via*, ex voce Lombarda *burlare*, quae significat *rotolare*.

16. Ut caeterae Intelligentiae, nempe Angeli, Caelorum rerumque his subjacentium moderatrices.

17. *Lentum fumum*, nempe irae absconditae, sive odii; quod, tanquam fumus ex tecto igne, ab inflammato corde lente exhalat, mentemque obnubilat et contristat. Dantes *accidioso fumo*, forte ex verbo *acedior* (voce infimae latinitatis, aeque ac *acedia*); quod et *pigritia corripior* et *indignor* sonat.

18. *Doctrinam*, id est Virgilium hoc loco, ac Dantem, cum mythologicis utuntur exemplis, non antiquae superstitionis, sed catholicae Fidei, sensu usurpare: ita Benasutius.

19. *Ex passu*, nempe expedito. Propter distantiam et obscuritatem, cernere nequibat Dantes quomodo Angelus Stygem transiret, siccisne an madidis pedibus, immersis nempe, nec ne, in aqua. Ex illius passu hoc agnovit, quem multo tardiorem efficit tranandа aqua quam aer.

20. Sic Statius de Mercurio, ab inferis redeunte. Theb. II. *Undique pigrae — Ire vetant nubes, el turbidus implicat aer.*

IN LIB. II.

1. *Farinata*, ex nobili Ubertorum familia, Ghibellinorum Florentiae caput; qui Guelforum exercitum, in quo et Dantis major erat, in Monteaperto, juxta Arbiam flumen, vicit ac fudit; cumque hac Ghibellini victoria elati de delenda Florentia cosulerent, his firmissime obstitit.

2. *Cavalcans* de Cavalcantibus, Guidi poetae ac philosophi pater.

3. Id est, non transibunt quinquaginta menses; nam Hecate in inferno, est Luna in caelo, ac Diana in terra.

4. Pulsus in exilium, experieris quam sit difficile exulibus in patriam redire.

5. Fridericus II, rex Apuliae et Siciliae, per quem Guelfi Florentia pulsi sunt anno 1248. Bis Ghibellini Guelfos expulerunt: primo, ut dictum est, anno 1248, ac secundo post pugnam Montisaperti; ac bis Guelfi reversi sunt: primo post cladem ad Fichine Ghibellinis illatam; secundo post mortem Manfredi regis.

6. Cardinalis Octaviani Ubaldini, qui adeo Ghibellinis favit, ut quondam dixerit: si est anima, propter Ghibellinos hanc perdidi.

7. *Sodomam*. Sodomitae Naturae contemptores. *Caorsam*, Carduciae urbem, usurae valde deditam. Foeneratores artis contemptores.

8. Iuxta illud Psalmi LII *Dixit insipiens in corde: non est Deus.*

9. *Secundo* ex ultimis tribus parvis orbibus, in quos septimus orbis subdividitur.

10. *Alexander*; non ille magnus, sed Phaereus, Tassaliae tyrannus, cujus barbariem describit Iustinus.

11. *Guidus* ex Monte-forti, ut patris mortem ulcisceretur, Henricum nepotem Richardi regis Angliae, cum sacris adsisteret in Viterbi urbe, interemit, cujus cor in simulacro Londini erecto servatur.

12. Duo: *Lanus*, juvenis Senensis, qui juxta *la Pieve* del *Toppo*, non procul Aretio, ab hostibus impetitus, maluit pugnando mori, quam fugiens vivere in inopia, quam sibi nimiis impensis adduxerat; et *Jacobus*, civis Patavinus, ex familia nomine *Della cappella di S. Andrea*, qui turpissimam vitam miserrimo fine clausit.

13. *Florentia* patronum suum, qui erat Mars, belli Deus, in S. Joannem Bapt. mutavit; cujus Martis pars supererat in ponte Arni. Quis esset hic Florentinus, nescitur: nonnulli putant *Roccum de Mozzis*, alii *Lottum ex Anglis:* uterque enim domi laqueo se suspendit, postquam ad incitas venit.

14. *Damiata* pro Oriente; *Roma* pro Occidente.

15. *Phlegeton* enim idem est ac *ardor* et *incendium*.

16. Ut propius Brunettum alloqueretur, quomodo clarissime patet infra, cum dicitur: *cernuus ibam, qualis qui reverenter eat.*

17. *Sanctum.* Ex nimio in imperium Romanum amore, *sanctum* vocat Dantes quidquid a priscis Romanis provenit: sese autem Romano genere natum gloriabatur, eque domo Frangipanium horiginem ducere.

18. Virgilius dicta Dantis approbat, utpote suis consona, quibus dixit: *superanda omnis fortuna ferendo est;* additque bene eum audire auctorum sententias, qui has meminit, et casibus obvenientibus adhibet.

19. *Priscianus* grammaticus seculi IV. *Accursius* celebris jurisconsultus Florentinus.

20. *Andreas de Mozzis*, episcopus Florentiae, quam interfluit Arnus, a Romano Pontifice (qui per humilitatem servum servorum se nominat) ad Vicentiam, qua Medoacus transit, translatus.

21. *Thesaurus*, liber a Brunetto compositus.

22. *Triplex*: nempe *Guidoguerra,* vir militari scientia clarus, qui in pugna inter Carolum et Manfredum potissima fuit causa cur Carolus vicerit; alter *Teghiaccius de Aldobrandis*, qui bellum in Senenses, unde Montisaperti elades venit, dissuasit; tertius *Jacob Rusticuccius,* cui, teste Daniello, morosa contigit uxor; quare ad vitium, pro quo damnatus est, se dedit.

23. Cum enim sistere, sub gravissimis poenis, nequirent, ut supra dictum est, nos circumeundo alloquebantur.

24. *Casta*, quia, cum propter miram illius pulcritudinem, imperator eam deosculari vellet, adsentiente patre, respondit: nemo, nisi cui nupsero, me deosculabitur.

25. *Guilelmus Borserius,* eques strenuus, generosus, alacriquo ingenio praeditus.

26. *Margine,* arenam, seu septimum orbem, claudente.

27. Caeruleus leo in lutea area erat stemma Gianfigliazzorum Florentiae: anser albus in area rubra Ubbriucorum item Florentiae: sus caerulea et gravida Scrovignorum Patavii.

28 *Vitalianus Del-dente.* Patavinus, celeber foenerator.

29. *M. Joannes Bujamons,* super omnes Europae foeneraores celeberrimus.

30. *Marchionis,* Obizzi Atestini, Ferrariae reguli.

31. Bononienses, ut loquendo affirment, ajunt *sipa* pro *sit.* Rhenus Bononiae territorium circumfluit ad Occidentem et Saeptemtrionem, ut Savena ad Meridiem.

32. *Sinus.* Locus Bononiae, angustus et rotundus, arboribus omnino carens (*avarus*) in quo lenones verberabantur.

33. Æternos, id est caeteris ampliores. Septem primos orbes.

IN LIB. III.

1. Bonifacius VIII, antea Benedictus ex Anagnia, vir magni animi ac mentis, ambitionis autem insimulatus, quam propter, non semper honis artibus usus fuerit.

2. Nicolaus III ex nobilissima Ursinorum Romana gente, cujus stemma est Ursa.

3. Clemens V, Vasconiae natus, ad pontificalem sedem evectus ope Philippi cognomine *pulcri*, regis Galliae; cujus sollicitationibus morem gerens, sedem apostolicam in Avenionem transtulit.

4. Nicolaus III Carolum ex Andegavia, Siciliae regem, dignitate Senatoris Romani et vicariatu imperii privavit.

5. *Septem capita,* id est septem Sacramenta. *Decem cornua*, nempe decem praecepta. *Marito*, Pontifici.

6. *Aruntem*, celebrem ariolum, de quo Lucanus: *Aruns incoluit desertae moenia Lunae.*

7. *Fraus* fuit suasio ut Casalodius expelleret urbe nobilium partem sibi adversantium: quo facto, Binamons sibi partem aliam addixit, et ipsum Casalodium ejusque asseclas ex urbe migrare coegit.

8. *Michael Scottus*, magnus negromantiae magister, teste Boccaccio, ex Scotia; *Guidus Bonattus* ex Foro Livii scriptor libri de astrologia, quem Daniellus vidisse asserit. *Asdens*, sutor Parmensis.

9. *Sancta Zita,* pro urbe Sena, cujus erat patrona. Sanctam pro urbe nominat Daemon, in majorem religionis et damnati contemptum. *Malebranche* commune nomen omnium Daemonum pontes custodientium.

10. *Bonturus Bonturi* ex Datorum familia. Ironice, quia Bonturus prae omnibus erat fraudator.

11. Damnatum irridet, qui, cum curvus ex pice emergeret, videbatur imaginem Sanctae Zitae adorare.

12. *Frater Gomita* erat ex Sardinia. Hanc tunc habe-

bant Pisani, in quatuor judicatus divisam: Logodurum, Calarim, Galluram, et Alboream.

13. Vide Notam 36 il Lib. IV.

14. *Guardingus*, via Florentiae, ubi erant domus principum Ghibillorum, a Guelfis incensae, quarum ruinae Dantis tempore adhuc supererant.

15. Pontes omnes hujusce vallis diruti sunt; terraemotus enim tempore mortis Christi hanc magis quam reliquas concussit, propter Phariseorum hypocrisim.

16. Praedicit Alborum cladem, quam illis illaturus erat Marcellus ex Marchionibus Malaspina in Valle Macrae dominantibus, in campo Piceno, non multum a Pistoria procul; quae clades causa fuit, ut non modo illa factio ex urbe pelleretur, sed et Dantes in exilium iret.

17. *Angelus Brunelleschius*, *Buosus ex Abbatibus*, et *Puccius Sciancatus*.

18. *Cianfa*, qui, nemine advertente, retro manserat, in serpentem mutatus, Brunelleschium aggreditur, eique insinuat et coalescit.

19. *Tractibus ex quatuor* (Dantes *quattro liste*) id est, ex duobus hominis brachiis, et duobus serpentis pedibus.

20. *Mutare et tsansmutare*, id est efficere ut quis alienam sibi formam indueret, suamque in alium trausmitterat; aut ex duobus formis tertium quid confieret ab una et altera diversum.

21. *Franciscus Guercius Cavalcans*, interfectus in Gaville, ob cujus interfectionem incolae illius oppidi valde vexati sunt.

IN LIB. IV.

1. *Forum Livii*, quod obsidionem sustinuit militum, quos miserat Martinus IV, magna ex parte, ut ipse, Gallos Huic urbi dominabatur *Sinibaldus ex Ordelaffis*, cujus stemma erat leo viridis.

2. Malatesta pater et filius, a Verrucchio dicti, oppido in Ariminensibns terris, quod ditione habebant. *Montagnam*, nobilissimum equitem, principem in illis locis Ghibellinae factionis, crudeliter necuerunt. *Canis* propter crudelitatem.

3. Leo in candida area erat stemma Mainardi Pagani, reguli Faventiae urbis, ad quam fluit amnis Lamo, et Fori Cornelii, ad quod fluit Saternus amnis.

4. *Coesena*, ad flumen Sapim.

5. Saracenorum gens, quam male affectam, Robertus Normandiae dux, ex Apulia et Sicilia expulit.

6. Exercitus Manfredi regis a Carolo ex Andegavia caesus ad Cepranum, in agro Romano, ubi Appuli a Manfredo per proditionem defecerunt.

7. *Alardus* Valleriensis, eques Gallus, suasit Carolo ex Andegavia regi Apuliae et Siciliae (qui cum duabus copiarum partibus adversus Corradinum, demortui Manfredi nepotem, pugnaverat, et victus fuerat), ut parte tertia hostem praedae intentum aggrederetur: quo facto, ipse unus, praesentia sua, Corradini exercitum fugavit. *Taliacotum*, castellum in Aprutio ulteriore.

8. *Alì*, Maometti discipulus ac gener, qui illius sectam deseruit, aliasque condidit

9. *Frater Dolcinus*, eremita, qui inexpugnabili super monte inter Novaram et Vercellas, cum tribus hominum millibus multisque mulieribus, turpissimam agebat vitam Cum propter nivem a pabulatione prohiberetur, coactus est se dedere populo Novarensi, qui cum multis aliis cruce signatis illum obsederat.

10. *Petrus de Medicina*, oppido in territorio Bononiensi; qui non modo inter suos, at praesertim inter Guidum ex Polenta et Malatestam Ariminensem discordias sevit.

11. *Guidus ex Cassero, et Angelulus ex Cagnano. Crustumium*, (Italice *Cattolica*), oppidum marittimum inter Fanum et Ariminum.

12. Malatesta filius uno carebat oculo.

13. Ventus, ex Focara monte efflans, valde illac navigantibus infensus. Significat non amplius illis hoc mare navigandum.

14. Fuit hic ex Ubertorum gente. Cum Amodeorum familia, irata in Boldemontem ex Bondelmontibus, quia, pollicitus uxorem ducere quandam ipsius domus, mulierem ex Donatis inde duxisset, consuleret quid faciendum; hic Mosca juvenem interficiendum contendit. Quapropter eadem die a Mosca ejusque sociis Boldelmons occisus est. Quae caedes magnum detrimentum Reipublicae attulit, omnis enim civitas in duas factiones, Guelfam nempe ac Ghibellinam, se divisit; et ejusdem Moschae generi ruinae fuit; namque Alberti omnes, virique ac feminae, aut morte aut exilio aut bonorum confiscatione multati fueruut.

15. *Beltramus a Bornio*, castello in Retia, dux Altafortis, castelli in Guasconia, cum Joannis, cognomine *absque terra*, ex Henrico Angliae rege nati, educator esset, suasit ei ut in patrem bellum ferret.

16. Senarum Episcopum, qui eum crimine negromantiae ad ignem damnavit.

17. In quo *Brigata ex Asciano*, oppido in Senensi agro, et *Abagliatus*, alter Senensis juvenis, bona omnia profuderunt. Coetus hic erat juvenum divitum ac levium societas, qui, bonis omnibus divenditis, pretioque in unum collato, id paucis mensibus absumpserunt, et ad egestatem delapsi sunt.

18. Ironice, nam *Stricca* erat celebris ganeo; et *Nicolaus de Lambertis* epularum amator et inventor.

19. Rumenae Comites, arcis in Clusinis terris.

20. Turris pendens Bononiae, nomine familiae, quae eam condidit.

21. Linguam Italicam denotat, quae tunc pene in infantia erat.

22. *Alexander et Napoleo*, ex Alberto De-Albertis nati, domino Falleronae, vallis in Thuscia, per quam Bisentius

amnis Arnum versus defluit, post patris mortem regiones illas tyrannice divexarunt, ac tandem invicem irati se interfecerunt.

23. In quatuor concentricas partes dividit Dantes inferni fundum, in quibus proditores puniuntur. Nullis aggeribus aut scopulis hae distinguntur, at solummodo diversis poenae modis; diversaque habent nomina pro vario proditionis genere. Prima vocatur *Caina*, a Caino fratris interfectore; altera *Antonorea*, ab Antenore Trojano, qui patriam prodidit; tertia Ptolemaea, a *Ptolemeo* Pompei proditore; quarta *Judecca* a Juda, qui Christum Judeis tradidit.

24. *Mordrec*, ex Artù, Angliae rege natus; qui, cum patri rebellasset, ac per insidias illi letum inferre vellet, tali ictu lanceae a patre praeventus fuit, ut per transruptum pectus Solis radius transiverit, ejusque umbram diviserit.

25. *Focaccia* ex Cancellieribus Pistoriae, juvenis singulari audacia et perditis moribus, qui puero consanguineo, propter puerilem noxam, manum amputavit, ejusque patrem domi aggressus interfecit. Ex quo scelere omnis Thuscia per multos annos turbata fuit; quippe inde factiones Alborum et Nigrorum prodierunt, quae non modo Pistoriae, sed et Florentiae, debacchatae sunt.

26. *Sassulus Mascheronius*, qui, cum cujusdam nepotis tutor esset, illum, ut haereditatem adquireret, interemit; quare damnatus capite Florentiae fuit.

27. *Albertus Camissonius De-Pazzis*, Ubertinum propinquitatis vincolo sibi junctum per fraudem leto dedit.

28. *Carlinus De-Pazzis*, pecunia corruptus, tradidit Florentinis Nigris castellum *Plani de Trevigne*, quod pro Albis in custodiam habuerat: quare multi ex Florentiae nobilibus capti et caesi fuerunt.

29. *Bocca* ex Abbatibus, Florentinus, ex Guelforum parte; cujus proditione in Monteaperto quattuor sociorum millia caesa sunt. A Ghibellinis enim pecunia accepta,

Jacobo De-Pazzis, vexillum principale ferenti, accessit; eique brachium amputavit: quare, vexillo lapso, exercitus se in fugam dedit.

30 *Buosus De-Duera*, Cremonensis, a Manfredo rege territorium Parmense cum multis copiis ad occupandum missus, ut Carolo ex Andegavia, Neapolis regnum invadere venienti, obsisteret, corruptus pecunia, Gallorum exercitui liberam viam reliquit.

31. D. *Thesaurus de-Beccheria*, Papiensis, ab Alexandro IV. Florentiam Cardinalis legatus missus, curasse dicitur summam rerum ex Guelfis ad Ghibellinos transferri: quare, seditione populi orta, caput illi in foro S. Apollinaris obtruncatum est.

32. *Joannes Saldanier*, ex Guèlforum parte, cum Florentiae factiones ambae hostiliter congressae fuerint, ex Guelfis ad Ghibellinos transivit, novique regiminis factus est princeps.

33. *Ganus*, cujus proditione sub Carolo Magno a Mauris triginta Christiadum millia caesa sunt. *Tribaldellus* de Manfredis, Faventinus civis.

34. Ugolinus, nobili genere, Pisanus, adjuvante archiepiscopo Ruggerio de Ubaldinis, ejecit Pisis nepotem suum Ninum de Viscomitibus, qui in suam potestatèm urbem redegerat; ejusque locum occupavit. Ab eodem deinde archiepiscopo insimulatus quod Florentinis et Lucensibus castella quaedam vendiderit, insurgente populo, captus est, et in carcerem, uti narratur, inclusus et enectus.

35. *Albericus ex Manfredis*, Faventiae dominus, in Manfredum ejusque filium iratus, simulata amicitia, eos ad convivium invitavit; condictoque tempore cum poma allata sunt, per sicarios utrumque occidit. Albericus postea se Gaudentium Fratrum ordini addixit.

36. *Branca Auria*, Januensis, Michaelem Zanchium, suum socerum, ut Logoduri judicatum illi eriperet, adjuvante agnato, interfecit. De quo Zanchio Dantes locutus est cant. XXII.

37. *Trinas facies* pro tribus mundi partibus tum not.

38. *Tumulus*, id est infernus.

IN LIB. V.

1. In terrestri enim Paradiso Dantes Purgatorii montem imaginatur.

2. Sol pervenerat ad circulum (horizontem) quem circulus alius (meridianus) medium dividens, ex suo altissimo puncto respicit Jerusalem; ac nox, in parte huic puncto opposita, exibat Gange; id est, ibi erat mane, hic vesper.

3. *Justa voluntas*, id est Dei.

Plena pace, nempe indulgentia plenaria, gratia Jubilei, quem anno 1300 Bonifatius VIII. indulserat.

5. *Casella*, cantor erat eximius, et Dantis carmen (Italice *canzone*) canere incipit.

6. *Ratio*, id est justitia, quae rationi innititur, aut potius ipsa est justitia.

7. Si omnia scire potuisses, scivisses etiam omnes peccati consecutiones, atque ideo non peccasses; quare non opus fuisset ut nasceretur Christus, qui te redimeret.

8. *Specus*, id est montem tuberosum.

9. Imperatoris Henrici V.

10. Fridericum, regem Siciliae, et Jacobum regem Celtiberiae. Manfredus hos, utpote suos nepotes, laudat; sed Dantes alio loco (id est can. VII. Purg.) eos vituperat.

11. Manfredus, rex Apuliae et Siciliae, occisus fuit in praelio contra Carolum ex Andegavia, cui Clemens IV idem regnum, utpote Ecclesiae feudum, addixerat; cumque christiana communione exclusus esset, tumulatus fuit a Carolo juxta Beneventum: unde, jussu ejusdem Pontifieis, episcopus Consentiae ossa effodit, atque extra regni fines, quod juris esset Ecclesiae, prope flumen Viridem dispersit.

12. Id est filia, ipsa etiam nomine Constantia

12. *Virtutibus*, id est facultatibus; puta voluntatem, intellectum, memoriam.

14. *Rentur* tot animas, quot facultates.

15. *Saxum*. Benassutius contendit esse planum, sive pratum.

16. Qui sunt in oppositis emispheriis, eoque in loco, per quem Phaeton non direxit currum (nempe extra eclipticam), horum alteri ad septemtrionem, alteri ad Meridiem, Sol videri debet.

17. *Belacqua* excellens, ut ajunt Interpretes, musicorum instrumentorum opifex. *Nil me miseret*, quia nunc certe scio te non esse damnatum.

18. *Jacobus ex Cassero,* Fanensis civis, cum Bononiae praeses esset, obstitit Attio VI Atestino, dominium illius urbis affectanti; quare, cum deinde Mediolanum proficisceretur, ab eodem Attio per sicarios inter Venetias et Patavium occisus fuit.

19. *Boncontes* pugnavit in campo Campaldino contra Guelfos Florentinos (quo in praelio Dantes erat eques) atque interfectus fuit, quin ejus corpus inveniri unquam potuerit.

20. *Aretinus* (Benincasa) interfectus fuit Romae in ipso suo tribunali a Ghino ex Tacco, in ultionem mortis suorum fratris ac nepotis, quos Benincasa, cum judex Senis esset, capite damnaverat.

21. *Cion ex Tarlatis*, Bartolorum familiam persequens, delatus fuit ab equo in Arnum, ubi mersus periit.

22. *Fridericum Novellum* quidam ex Bartolis (cognomine pistorulus, Italice *fornajuolo*) interfecit.

23. *Farinata ex Scoringianis*, quo occiso, ejus pater Marsuccus, non modo sine lacrimis filii mortem tulit, sed tumulationi interfuit, occisoris manum est deosculatus, et consanguineis pacem suasit.

24. *Comes Ursus* a patruo, aut suis, per insidias interfectus.

25. *Petrus ex Broccia*, ab epistolis regis Galliae Philippi cognomine *pulcri*, aulicorum calumnia in tantum reginae odium incidit, ut, tanquam illius pudicitiae insidiatus fuerit, eum apud regem accusaverit.

26. *Sordellus* ex Viscomitibus Mantuae, poeta ac litteratus; de quo scribit Benvenutus e Foro Cornelii: *nobilis et prudens, miles et curialis.*

27. *Sanctaflora* feudum imperiale.

28. *Oltacherus*, rex Boemiae, imperatoris Rodulfi gener.

29. *Nasettum*, sic dictum a parvo naso, nempe Henricum III, regem Galliae; qui, praelio navali a Ruggerio Auria victus, Perpiniani secessit, ubi tristitia obivit.

30. Henricus III Navarrae rex.

31. *Illius*, id est Philippi cognomine *pulcri.*

32. *Vastus membris*, Petrus III. rex Celtiberiae, supra nominatus. *Naso ingens*, Carolus I. rex Siciliae.

33. Tum Carolus I. rex Siciliae, tum Petrus III. rex Celtiberiae, filios habuere non patriae virtutis haeredes.

34. *Planta*, sive pater; *semen* sive proles. *Constantia*, uxor Petri III. regis Celtiberiae, ut supra dictum est. *Beatrix*, filia Raimundi Comitis Galliae Narbonensis (Italice *Provenza*) et *Margherita*, filia Eudis, ducis Burgundiae, quae nupserunt Carolo ex Andegavia. Ita Benassutius.

35. *Guilelmus*, marchio Montisferrati, ab Alexandrinis interfectus fuit: quare bellum ingens ortum est inter illos et Montisferrati et Canaveji incolas, in quo isti victi sunt.

36. Tam tenue est velamen, ut facile putes has Animas diaboli tentationes pati; cum revera nec patiantur, nec pati possint; sed tantum earum timore afficiantur: ita Benassutius.

37. *Ninus*, ex Viscomitibus Pisarum, judex in judicatu Gallurae in Sardinia.

38. Id est, postquam viduitatis vestes exuit: viduae enim albas vittas in signum maestitiae gerebant.

39. Nupserat enim Galeazzo ex Viscomitibus Mediolani, cujus stemma erat Vipera, ut Gallus Gallurae.

40. Nisi eventuum cursus, in Coelo fixus, immutetur.

IN LIB. VI.

1. *Belluae*, id est piscis, qui frigidus est, quia vivit in aqua, magnaque vi in cauda est praeditus, ut videre est ex saltibus ingentibus, cum in siccum est deductus: ita Benassutius.

2. Nox ad nos ascendere incipit, cum ex altissimo puncto circuli celestis, antipodes nostros tegentis, ad eorum horizontem vergit; ad quem tempore verno per tres gradus (seu sex horas) pervenit. Cum jam duos gradus explevisset, tertiumque jam tum expleret, consequens est ut illic esset diluculum.

3. Color primi gradus sinceritaem confitentis denotat; color et duplex rima secundi contritionem sive dolorem; color tertii charitatem, qua peccator, pertaesus culpas, ardere debet; limen ex adamante fundamentum stabile et inconcussum auctoritatis Sacramentum Poenitentiae administrandi.

4. Clavis *aurea* signum auctoritatis; *argentea* doctrinae, qua praeditus esse debet Sacramenti Poenitentiae minister.

5. Id est, ex gratia Dei recidit quisquis, donatus venia, in culpas relabitur.

6. *Dulci*, nempe mihi, ob patefactum ingressum.

7. *Ombertus* ex Aldobrandeschis, Comitibus Sanctaflorae, adeo superbia atque arrogantia Senensibus displicuit, ut ab eorum turba impetitus et interfectus fuerit.

8. *Guidus* Cavalcans Florentinus linguae gloriam *Guido* Guinicellio eripuit.

9. Cum nempe in Monteaperto Guelfi Florentini profligati fuerunt; quo in praelio Provenzanus Senensibas praeerat.

10. Ut stipem a populo peteret, qua amicum carcere liberaret.

11. Nosse dabunt quam durum molestumque animo nobili sit mendicare, cum te in exilium pellent.

12. *Eriphyle*, ut quoddam monile a Polynice haberet, locum revelavit, ubi vir suus Anphiaraus latebat, ne Thebas ad bellum iret, in quo moriturum se certe praesciebat. Quo mortuo, Alchemeon filius, ut patrem ulcisceretur, matrem occidit.

13. Qui praesens haec fieri vidit, non melius vidit, quam ego haec eadem caelata ac picta videns.

14. Ironice, id est Florentiam.

15. Alludit ad duo facinora, ex quibus patebat quantum Florentini a majoribus degenerassent; nempe, amotionem tabellae ex modio, quo sal publice vendendum metiebatur; et detractionem folii ex libro, in quo acta publica referebantur.

16. *Locus veniae*, ubi Angelus peccatum invidiae delet.

17. Id est, ut mens, conscientiam examinans, nulla illius turbetur immunditia; in morem fluminis, qui puro decurrens alveo, clarus ac nitidus fluit; *conscientia* enim, ut ait Plinius, *mentem vexat.*

18. Quae ob Telamonem, castellum ad mare, fallitur spe magnam in mari potentiam adquirendi, ut falsa fuit in inquirendo Dianam, fontem aut flumen, quod Senas subterfuere credebatur.

19. *Sues*, Clusinos (Italice *quelli del Casentino*). *Catulos*, Aretinos. *Lupos*, Florentinos. *Vulpes* Pisanos.

20. Id est Dantes.

21. M. Fulcierum de Calbolis (nepotem Renieri, cui

Guidus Del-duca loquitur); qui, cum Florentiae esset praeses, multos factionis albae interfici jussit.

22. Pecuniam enim ab Nigris acceperat, ut Albos persequeretur.

23. *Sylva*, id est Florentia.

24. *Finibus* Romandiolae.

25. *Daemon*, Mainardus Paganus, Fori Livii tyrannus.

26. *Ugulinus* de Fantolis, nobilis Florentinus.

27. *Aglauros*, a Mercurio in saxum mutata, quod ipsius amori erga sororem invideret.

28. Gaude tu quoque, Dantes, qui invidiam reliquosque pravos affectus, montem ascendendo, vincis.

29. Postquam mens ab extasi ad imagines externas rediit, cognovit res, per eam visas, rebus praesentibus respondere; et, si earum visio fuit *error*, utpote rerum praeteritarum, non tamen erat *falsus*; praesens enim verum repraesentabat.

30. Ut aquam ignis extinguit, ita mansuetudo iram.

31. *Marcus Lombardus*, nobilis Venetus, ut ajunt Interpretes.

32. *Diffissa* ungula, id est potestas spiritualis a corprali sejuncta.

IN LIB. VII.

1. In Sagittarii constellatione.

2. Pontifex Adrianus V.

3. Vanum est enim omne opus sine amore aeterni boni, sive Dei.

4. *Dos*, quam filia Raimundi Berlinghieri, Comitis Galliae Narbonensis, tulit Carolo ex Andegavia.

5. Carolus ex Andegavia S. Thomam Aquinatem veneno necuisse dicitur, cum ad Concilium iret.

6. Corolus II. rex Siciliae, captus fuit in navali praelio a Ruggerio Auria. In libertatem missus, filiam suam in matrimonium Attio Atestino, a quo pecuniam acceperat, dedit.

7. *In templum*, nempue in bona templarium equitum, quorum egit ut deleretur ordo.

8. More hominum loquitur, quibus dulcis est ira, cum certi sunt posse ei satisfacere, ac vindicta gaudere.

9. Pygmalion fuit frater Didonis, cujus maritum Sichaeum interfecit. Sichaeus, respectu uxoris, erat Pygmalionis frater. Hunc Dantes *parricidam* nominat, quia talis dicitur, qui ex propinquis aliquem enecat; ac Florus Horatium et Jugurtham parricidas appellavit; quorum primus sororem, alter fratres occiderat.

10. Animae jacentes, paulum erecto ac flexo capite, respiciebant suos pedes versus, ad locum scilicet unde ventura erat Anima, quam liberatam ex terraemotu praesenserant: ita Benassutius.

11. Id est, poeta.

12. Id est, pro vobis, quasi patrona, precatur et intercedit.

13. *Foresis*, nobilis Florentinus, ex Donatorum familia, amicus et propinquus Dantis, qui Gemmam ex Donatis uxorem duxit.

14 *Bonojuncta*, ex Orbisanis Lucae.

15. Martinus IV.

16. *Ubaldinus* de Ubaldinis, ex Pila, castello Montis Senarii.

17. Erat enim archiepiscopus Ravennae.

18. *Riguglίosum*, Fori Livii marchionem, qui promo referenti quod vulgo diceretur is semper bibere, respondit: dicito quod semper sitio.

19. Non hic amorem aliquem Dantis erga Gentuccam, sed Gentuccae erga Dantem beneficientiam innui valide probat Benassutius.

20. *Corsus* ex Donatis. princeps factionis nigrae, qui populum insequentem fugiens, ex equo decidit, et miserrime obivit.

21. *Amitto* tempus luendae poenae, quae erat in adeunda arbore, Animas emaciante.

22. In vertice montis.

23. *Patefacto*, id est sine arbore.

IN LIB. VIII.

1. Erat hora duplex (vel 82 mom. ut vult Benassutius) post meridiem.

2. *Prospectum* (Dantes *veduta*) id est providentiam.

3. Aristoteles.

4. *Ermaphraditus*, non modo sexus, sed et speciei; id est, cum bestiis coitus.

5. Non ausus me mittere in ignem, ut Guidum amplecterer, quomodo filii Hypsiphylem matrem amplexi sunt.

6. *Usus* Italice scribendi.

7. *Lemosinem*, Gerault de Bernoil ex Lemovico.

8 *Arnaldus*, sive Arnau, Daniel.

9. Sol erat in loco, unde fit mane in Jerusalem, dimidium noctis in Hispania, meridies in India; erat idee vesper in Purgatorii monte, cui opposita est Jerusalem.

10. *Pomum*, id est felicitas. *Per tot ramos*, nempe per tot modos, sive voluptates.

11. Tres Virtutes theologales, Fides Spes Charitas.

12. Quatuor Virtutes cardinales. Tres stellas, id est oculos, habet Prudentia; inquit enim Senaca: *si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: praesentia ordina, futura praevide, praeterita recordare.*

13. *Septemtrio*, id est semptem candelabra.

14. Viginti quatuor Seniores.

15. Id est, Angeli.

16. Varba sunt Beatricis.

17. Beatrix mortua est ineunte juventa, quae est aetas secunda.

18 *Dapem*, id est aquam Lethes.

19. More amantium, qui ante domum suarum Venerum ambulant.

20. Id est, hebetatur justitiae gladius.

21. Clamarunt omnes adstantes Angeli Seniores et Virtutes.

22. *Sidera* quatuor illa, de quibus est sermo in cant. 1. Purgatorii.

23. *Umbrabat*, nempe floribus spargebat.

24. Haec planta est Humanitas, sive Natura humana, ut clarissime patet ex voce *Adamus*, quam, vix visa arbore, omnes ediderunt. Hanc plantam enim Adamus floribus ac frondibus, nempe innocentia ac donis Spiritus Sancti, dispoliavit. Cui plantae Gryplus, sive Christus, currum, id est Ecclesiam, alligavit; quo alligato, planta revixit. Haec est arbor, de qua dictum fuit cantu praecedenti XXIV. *Planta est ulterius prima demorsa parente.*

25. Christus enim humanam naturam sumpsit integram, qualis creata fuit, non ab Adamo deinde vitiatam.

26. *Colore* sanguinis, id est Christi, quo instaurata est Humanitas, et de hac creata Ecclesia.

27. *Mali*, scilicet Christi, qui malo comparatur.

28. Persecutio Imperatorum Romanorum in Humanitatem redemptam et ejus Ecclesiam.

29. *Vulpes*, nempe Haeresis, Arii et aliorum.

30. Constantini imperatoris donatio.

31. *Draco*, id est Maomettus; qui, de terra egressus, scilicet ab inferno, inter utramque rotam, inter nempe vetus et novum testamentum, condidit nefariam suam legem, ac multas gentes ab Ecclesia Christi, pervagatus, avulsit.

32. Dominationes aliae, quas Ecclesia est adepta.

33. *Septem capita*, id est septem vitia; quorum tria, nempe Superbia Ira et Avaritia, cum geminis cornibus, quia damnum afferunt et vitioso atque aliis; quatuor cum uno cornu, scilicet Gula, Invidia, Acedia et Luxuria, quia solis vitiosis nocere solent.

34. Romana Curia: mulier illa, de qua sermo fuit cant XI. Inferni.

35. Philippus, cognomine *pulcher*, rex Galliae.

36. *Mihi*, id est Imperatori Germaniae, cui ego favebam.

37 Alludit vexationi, quam idem Philippus attulit Bonifatio VIII; de qua dictum est cant. XX.

38. Id est, Curiam Romanam, seu Sedem Pontificiam, in Galliam transtulit.

39. Significat Pontificiae Sedis translationem, et citum ejus reditum.

40. Vaticinatur Pontificiam Sedem non diu Avenione mansuram. Alludit verbis Apocalypsis: *Bestia, quam vidisti, fuit et non est.*

41. Id est, vindicta Dei nullo impedimento cohibetur. Opinio vulgi erat, homicidam, si super interfecti tumulo panem vino intrisum (Italice *zuppa*) comedisset, impunem evasurum.

42. *Volucrum regina*, nempe imperium.

43. Id est *Dux*. Numerus enim 515, si Romano more scribitur, est DXV; in quo, si V ponitur post X, fit Dux: de quo valde disputant Interpretes.

44. Narrat Ovidius Themidem, quia Najades Thebis responsa atque oracula clare redderent, aprum immanem misisse, qui segetes proculcaret. Sed in Ovidio pro *Naiades*

legendum *Laiades*, nempe Edipus, filius Laji, regis Thebes.

45. *Bis* primo ab Aquila, secundo a Gigante, aut potius a Dracone.

46. Deus enim Naturam Humanam creavit, ut hanc sibi sumeret Christus; de qua hic Ecclesiam condidit, cujus ipse est caput et sponsus. Quare qui laedit Ecclesiam, laedit Humanam Naturam Divinae coniuuctam, atque dicit, agendo, hanc esse maleficam, ut ajebant Pagani.

47. Adamus, pomum comedens, plantam momordit, vulneravit, contaminavit.

48. Adamus traduxit in *poena* annos 930. quos vixit; et in *desiderio* annos 4502, quos moratus est in Limbo.

49. Dicitur *Elsa*, exiguus amnis, qui in Arnum influit, res ibi mersas in lapidem convertere.

IN LIB. IX.

1. Nempe, Horizontem, Zodiacum, Aequatorem, et Colorum aequinoctialem.

2. *Illinc*, id est in emispherio Purgatorii; *hinc*, in emispherio opposito, seu Jerusalem.

3. *Rota*, seu Luna. Dantes, evectus ad pheram ignis, concentum audire incipit, quem Coeli circumeuntes edunt. Quem nunc audit, est concentus Coeli Lunae.

4. Allegoria. Id est, vos, quibus est tenue ingenium, ac doctrinae impar, abscedite; vos autem, qui ab ineunte aetate sapientiam, quae cibus est Angelorum, nempe spiritualis, adquirere nixi estis, me sequimini.

5 *Uno excepto*, nempe principio *rari* ac *densi*, quod solum tu admittis.

6. *Primum*, nempe rarum esse in utraque parte. Tempore Dantis chartae ex facie una erant albae, et ex altera nigrae; ac proinde in una tantum scribebatur.

7. Injustam videri hominibus divinam justitiam, est

illis causa fidei; scilicet credendi quod humanam intelligentiam superat; non haereticae audaciae, seu non credendi quod mortalibus non intelligitur.

8. Mundus fit vividior, quo magis ex terra accedit Empyreo.

9. Mercurii sidus luce sua terram colentibus Sol abscondit.

10. *Colli*, in quo erant Fesulae, ex quarum reliquiis aedificata est deinde Florentia. Fesulae autem destructae sunt, quia coniurationi faverant Catilinae.

11. Id est Aquila, insigne imperii, ducente Aenea, ut supra.

12 Haec gloria maxima Aquilae sub Tiberio imperatore fuit Christi damnatio ac mors; quae re vera fuit maxima injustitia, atque ignominia; sed, si spectatur tanquam effectus divinae Providentiae, ex malo bonum deducentis, est maxima ac praecipua Aquilae gloria humani generis redemptionem effecisse.

13. Raimundus Berlingherius, Comes Galliae Narbonensis.

14. *Duplice*, id est charitatis erga Deum ac proximum, quam ostenderat, Dantem edocens.

15. Alludit verbis S. Joannis: *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.*

16. Liberum nempe ac non subditum est novis stellarum influxibus, quibus caetera subjacere solent.

17. Seraphim sunt ceteris beatis Spiritibus sublimiores, atque ideo ab eis initium sumunt cantus et choreae.

18. Initium primi ex Dantis Carminibus, Italice *Canzoni.*

19. Hic est Carolus Martellus, rex Hungariae, primigena Caroli cognomine *claudi*, regis Apuliae, vir magna virtute praeditus, et amicus Dantis.

20. Meo fratri, cujus indoles ex liberalibus parentibus

in parcam et avaritiae deditam degeneravit, opus est habere ministros, non Catalaunos, quos habet, avaros, sed integros et liberales.

21. Aristoteles.

22. *Abollae*, Italice *sopravvesta*.

IN LIB. X.

1. *Clementia*, filia Caroli Martelli, uxor Ludovici X. regis Galliae.

2. *Fraudes*, per quas regnum Apuliae Robertus, Caroli frater, eripuit Carolo Unberto, ejudem Caroli filio.

3 *Fax*. Ezellinus, insignis tyrannus.

4. Propter cladem ac caedem Patavinis illatam a Cane Scaligero.

5. Richardus ex Camino. A conjuratis interfectus fuit dum latrunculis luderet.

6. *Maltam*, turris, quam erexerat Ezellinus in carcerem.

7. *Maxima vallis*, Mare mediterraneum.

8. *Folcus*, filius mercatoris Januensis, qui se Massiliam transtulit: quare dixit Petrarca: *Folchetto, che a Marsiglia il nome ha dato. Ed e Genova tolto.* Ex amasio factus est monachus et episcopus.

9. Urbs tua, scilicet Florentia, quae dici potest ex Lucifero nata (dixit enim Christus: *vos ex patre diabulo estis*) cujus Luciferi invidia tot dolorum causa fuit, juxta illud Sapient. 11. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

10. Canonico juri student; hujus enim studium est lucrosum.

11. *Scalam,* per quam nemo descendit, ut Dei mandata exequatur, quin certus sit per eamdem ad Deum revertere.

12. *Albertus* magnus, celeberrimus theologus soeculi XIII.

13. *Gratianus*, auctor Concordantiae discrepantium canonum.

14. *Petrus Lombardus*, alias *Magister sententiarum.* Initio operis ait, se hoc dare Ecclesiae in modum ac similitudinem oblationis, quam fecit paupercula in gazophilacio, ut narrat S. Lucas.

15. Salomonis.

16. S. Dionysius areopagita, qui scripsit *De divinis nominibus, et Angelorum hierarchia.*

17. Lactantius. *Parva*, quia hic, licet in eloquentia magnus, non idem fuit in theologia.

18. Boctius, strangulari jussus in carcere a rege Theodorico. Alluditur ejus Operi *De consolatione philosophiae Celdauri*, ecclesia Paviae, nomine *Celum auri*:

19. *Bedae*, venerabilis presbyteri Angli, Homiliarum scriptoris. S. *Isidori*, episcopi Hispalensis, scriptoris ecclesiastici. *Richardi*, canonici regolaris S. Victoris juxta Parisios.

20. *Sigieri*, praeceptoris theologiae in Parisiorum athenaeo.

21. Horologium ad excitandum (Italice *a sveglia*) in monialium caenobio.

22. Hispanorum regum stemma, in cujus parte est castello impositus, atque in altera subpositus castello, leo.

23. *Salute*, id est modis ad assequendum finem. Fides promisit gratiam, sive auxilium; et Dominicus operam.

24. *Consilium*, nempe paupertatis.

25. *Taddeus*, insignis jurisconsultus Florentinus. *Ab Ostia*, id est Ostiensis, interpres Decretalium.

26. *Civilem pugnam*, id est contra haereticos, qui et ipsi erant ex civitate Christi.

27. Metaphora ex doliis; quibus, bene custoditis, ex vino fit crusta; incustoditis fit mucor.

28. Id est, si quis recenseat Dominici ordinis singulos fratres, aliquem bene moratum inveniet.

29. *A lumine*, id est Illuminatus.

30. *Os cornu*, id est duo sidera Ursae minoris, proximiora polo, quae includunt spatium ad imaginem cornu.

31. Sermo Thomae veniebat ex ora ad centrum, in quo erant Dantes et Beatrix: ac sermo Beatricis ex centro ad oram, ubi erant duae coronae.

32. *Sigilla*, oculi Beatricis. Item infra *voluptas*.

33. Vide Nòtam 6 in Lib. IX.

34. *Tempus*, id est nubendi.

35. Dantes *ucellatojo*, ubi divites Florentini villas urbanas habebant, ut Romani in *Monte-Mario*.

36. Imputat Curiae Romanae quod Florentia alienigenis sese impleverit, quia civitatem in factiones Guelfam et Ghibellinam divisit.

37. Id est, ad tuendam civitatem nil conferunt illius vires et magnitudo, nisi in ea sit pax et concordia.

38. Vide Notam 15 in Lib. VI.

39. *Pilae auree* erant stemma Lambertorum. Hujus familiae studium innuitur pulcris aedificiis urbem ornandi.

40. Apud enim hanc petram Bondelmons occisus fuit.

41 *Lilium* erat insigne Florentiae publicum; quod in belbum ferebant; et si victi fuerint, inversum referebatur. Erat autem album in area rubra; at, civili discordia orta, a Guelfis victoribus positum est rubrum in area alba.

IN LIB. XI.

1. Pontifex Clemens V; qui, potquam Henricum VII. ad imperium evexerit, obstitit illius in Italiam adventui ejusque inimicis occulte favit.

2. *Dites* sunt, quos Canis vicerat; *inopes* sunt exules, quos hospitio excepit.

3. Dantes *chi più s'abbavdona*, id est qui magis imparatum fortunae sese credit.

4. *Gaudebat*, id est revelasse, quod ego scire cupiebam.

5. Id est, hoc in quinto Coelo.

6. Carolus magnus.

7. Quo enim magis ascenditur, eo sunt Coeli ampliores.

8. *Pane*, id est eucharistico, aliisque sacramentis, per anathema interdictis.

9. *Illius*, id est S. Joannis Baptistae, cujus effigies imprimebatur Florentiae in nummis aureis, Italice *fiorini*.

10. Id est *Throni*. Vide Purg. cant. IX.

11. *Laudibus*, id est Beatis, qui per divinam gratiam tales facti sunt.

12. Id est, illi Beati, Spiritu Sancti accensi.

13. *Alberti*, imperatoris Austriaci.

14. Philippus, cognomine *pulcher*.

15. Oduardus 1. rex Angliae, ac Robertus rex Scotiae.

16. Alphonsi regis Hispaniae, et Wenceslai regis Boemiae.

17. *Bonitas*, id est liberalitas Caroli II, regis Apuliae et Jerusalem.

18. Hic est Fridericus, Petri regis Celtiberiae filius. Friderici hujus patruus fuit Jacob rex Balearium, et frater fuit Jacob rex Celtiberiae.

19. *Bestia*, Henricus II, rex Cypri, in qua insula sunt urbes Nicosia et Famagusta.

20. Opinio erat tempore Dantis Solem stellis omnibus, etiam fixis, lucem impertiri.

21. *Tibiis*, Dantes *flavilli* a verbo *flare*, unde Italice *flauto*.

22. Trajanus imperator.

23. Guilelmus II, cognomine *bonus*, rex Siciliae; quae plorat Carolum II propter bellum, quod illi infert, et Fridericum propter tyrannidem, qua eam vexat.

24. *Ripheum*, de quo scripsit Virgilius: *cadit et Ripheus, justissimus unus qui fuit in Teveris, et servantissimus aequi.*

25. Id est Aquila, imago aeterni placiti, quod statuit universum terrarum imperium.

26. *Patebit* ex divina ultione illud caenobium non amplius esse, quale erat.

27. Id est, fui Petrus Damianus usque ad meum ingressum in caenobium: deinde fui Petrus peccator (nempe me dixi et subscripsi *Petrus peccator*) usque ad meum obitum Ravennae, cujus templum maximum Deiparae dicatum est. Ita Benassutius.

28. Vindictam offensus cupit, atque ideo hanc semper tardare putat: offensor contra hanc pavet, ac proinde semper sibi imminere videtur.

29. *Natum* et *Patrem*, id est Martem et Saturnum.

30. Metaphora ex pictura, in qua, ut sinus vestium bene pingantur, requiritur color tenuis ac languidus.

31. Fides enim locum tenet ratiocinii, et credere cogit firmius quam quodlibet argumentum; juxta illud Augustini: *Christianus sum; nescio quod credo.*

IN LIB. XII.

1. Id est *quater*. Quater enim Christus tres discipulos prae reliquis secum habuit: in sanatione leprosi, in ad vitam revocatione filiae archisynagogi, in transfiguratione, et in horto Gethsemani.

2. *Montes*, id est Apostolos. Alludit verbis Ps. CXX. *Levavi oculos in montes.* Apostoli autem reliquique majores

Sancti in Scripturis vocantur montes: ut in Ps. LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

3. *Duplice amictu*, id est beatitudine animae et corporis.

4. *Cancer* enim ex solstitio Decembris per integrum mensem oritur dum Sol occidit.

5. *Aristoteles.* Dixit se ex philosophia et revelatione scire quod Deus est amandus. Nunc utriusque exemplum affert.

6. *Frondes*; nempe res creatae.

7. Id est, a prima hora (exclusa) primi quadrantis ad secundam (pariter exclusam) quadrantis secundi; sex nempe horas. Dividitur enim cursus Solis in quatuor quadrantes, quorum quisque sex horis constat.

8. De Pontificibus Joanne XXII ex Caorsa, et Clemente V ex Vasconia, loquitur.

9. In medio Januarii, cum maximum est frigus.

10. *Prima plaga*, id est zona torrida. *Finem*, id est tropicum Cancri.

11. *Medium*, id est axem; in quo immobili caelestes orbes obvolvuntur.

12. *Hac urna*, nempe primo mobili. Id est, vides ut hoc primum mobile sit prima temporis mensura, non autem Sol, Luna, Planetaeque alii, qui subinde ac deinceps annos mensesque ac dies metiuntur.

13. Id est, gentis humanae; Solem enim dixit Dantes Parad. cant. XXII *padre d'ogni mortal vita.*

14. Inter annum civilem et solarem in calendarii correctione, a Julio Caesare habita, minima differentia erat temporis; quae, ab astronomis neglecta, magnam in ordinandis anni tempestatibus, processu temporis, allatura erat varietatem. Haec minima differentia putabatur *centesima* pars diei. Dantes ponit rem remotissimam pro proxima, quam desiderabat.

15. Ut in cant. XXXI Purg. Dantes videbat refle: in oculis Beatricis imaginem gryphi, sic nunc in eisd reflexum vidit *punctum*, sive imaginem Dei; quod pu ctum, conversis oculis, vidit in nono Celo (*volumine*), u hoc quisque, bene perspicienti, illic apparet.

16. *Salutem*, id est bonitatem. Quod magis bonum est, majorem bonitatem impertit; et quo magis corpus est amplum, majoris bonitatis est capax, ut plus lucis cristallus magnus, quam parvus, recipit.

17. Cant. IX Parad. Dantes *Thronos* vocavit specula; nunc ideo eos vocat Thronos *divini aspectus*.

18. Dionysius areopagita, qui fuit discipulus S. Pauli.

19. S. Paulus.

20. Id est tempus minimum.

21. Id est, ut infra dicitur, forma pura, materies pura, atque utraeque conjunctae.

22 *Potestate* recipiendi actionem et formam. Augeli, quibus est forma pura et purus actus, atque materia carent, partem supremam obtinuerunt, id est primum mobile. Materies pura posita fuit in infimo loco, ac proinde in centro terrae. Partem mediam forma et materies junctae (ut anima et corpus) occuparunt, id est octo Celi corporei, quorum cuique Angelus est quasi anima et motor.

23. Quomodo (cum in regionibus Orientalibus, a nobis valde remotis, est sexta hora, id est meridies, et noster mundus quasi ad planum inclinat umbras) ex summo Caelo, jam albescente, aliqua stella evanescit; ac deinde, magis illucescente Aurora, omnes etiam splendidiores abeunt.

24. Columbi more, cum escam inserit in os pullorum: ita Benussutius.

25. Pont. Clemens V. *Anagninum*, nempe Bonifacium VIII.

26. *Conditione*, aut paternae fidei, aut circumcisionis, aut baptismatis, ut infra dicitur, pro temporibus.

27. Id est, prout Gratia plus minusve ornet capillis suis hanc aut illam Animam. Capilli enim in Sacris Canticis ponuntur pluries pro donis Spiritus Sancti.

28. Adamus pater humanae gentis, ratione naturae: Petrus ratione gratiae.

29. *Sommi*, id est visionis.

30. Amor Dei erga hominem exarsit, cum illum creavit. Cum autem homo peccaverit, amor Dei erga illum quodammodo refrixit. Iterum exarsit, cum Deus eum redemit; in utero Mariae exarsit, in quo humanam carnem suscepit.

31. *Supremam Salutem*, id est Deum.

FINIS.

Pag.	*Ver.*	ERRATA	CORRIGE
6	176	es	est
11	354	sacimus	facinus
Ibi	Ibi	onim	enim
12	382	splendita	splendida
25	811	alisque	aliisque
35	100	momori	memori
38	226	Erichthno	Erichtho
41	353	genu	genus
50	637	cuccurrit	cucurrit
51	681	moras	mores
Ibi	699	protin	protinus
53	761	ritemus	vitemus
54	799	nonstri	monstri
55	808	complectere	amplectere
61	24	perserit	perurit
63	106	placusse	placuisse
Ibi	426	improbe	improba
78	641	quem	quam
79	644	ham	hanc
98	372	luctratis	lustratis
Ibi	374	quae	quas
102	864	pandet	pendet
121	194	Aoor	Amor
123	263	slelerant	steterunt
124	322	jujamen	juvamen
126	382	hicmem	hiemem
132	275	vitra	ultra

Pag.	*Ver.*	ERRATA	CORRIGE
		—	—
136	712	calores	colores
141	871	recto.	recto
145	105	adversti	adverti
152	359	his	hic
153	369	spelae	spelaea
155	449	alta	alte
163	724	slaudenda	claudenda
165	788	ures	aures
Ibi	793	redeans	redeas
176	225	sum ego	sum ego, sum
178	309	Celitum	Celituum
Ibi	311	husuit	hausi
184	115	lempore	tempora
200	142	illorum	illarum
223	921	Assimis	Assimilis
230	115	par	per
246	639	Mala	Male
266	457	flagra	flagras
269	545	Hac	Hoc
297	540	beari,	beari.
298	575	entumque	centumque
299	617	Remo	Nemo
308	1	contingat	forte erit, ut
Ibi	3	tendem	tandem
317	308	Nullam	Nullum
318	341	puae	quae
324	462	undus	undas
325	586	vincunt,	vincunt.
328	689	aspicies	aspiciens
330	753	flects	flectis
334	902	juncta	junctae
335	930	subibat	subibant